DE VERA VIVENDI LIBERTATE LIBER PRIMVS.

Opinio quorundam Peripateticorum, atq; Platonicorum, qui ueram uiuendi libertatem è medio ſubſtulerunt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum eorum, quæ in ſcientijs quæruntur, primum eſſe uideatur, ſit ne res ipſa, an non ſit, ideo in huiuſmodi libello primo differendum ſit ne uera uiuendi libertas, an cum ſeruitute omnia agimus. Philoxenus itaq; Peripateticus in ea epiſtola, quã ad Nicolaum rhodium ſcribit, tradit hominum naturam multis conditionibus in ſeruitute ortam eſſe. Quod Ariſto. etiam primæ philoſophiæ proœmio, & primo ciuilium probauit, ex eo, quia compluribus neceſſitatibus ſubditur quod autem ita ſit, argumento nobis ſunt compluſculi homines, qui nonnunquã id ipſum prętereunt, quod per ſe eſt expetendũ, ob ea, quę ſunt uitę neceſſaria philoſophari enim longe magis, quã ditari expetibile eſt, licet ditari (ut Ari. ſummus naturę interpres tertio topicorum libro aſſerit) interdum magis eligitur, non quidem ſimpliciter, ſed ab eo, qui neceſſitatibus premitur. Pręterea optimus diuinorum indagator Plato ea in epiſtola, quã ad Architam ſcribit, apertiſſimis uerbis confitetur humanam naturam ſeruam naſci, quod nullus noſtrum ſibi ſoli natus ſit, quippe cum ortus noſtri partem ſibi uendicet patria, partem parentes, partem amici, multa inſuper pro temporum diuerſitate nobis accidunt, quibus uita noſtra occupata eſt. Deinde cum Barbari ſint natura ſerui, quemadmodum primo ciuilium rerum ſummus naturę rimator Ariſto. argumentatur, ex ipſa naturali ingenij hebetudine, fit ut in eis nec uera ſit uiuendi libertas nec aliquis eorum liber eſſe poſſit. Inſuper licet eſſet in aliquibus hominibus libera uita, in nullis tamen (ut mihi uidetur) pro omnibus uitę temporibus eſſe poterit. quippe cũ nec in dormientibus, nec in pueris, nec in aliquibus id genus ea cernatur. Poſtremo in ijs qui bello uincuntur uiuendi libertas nulla eſt, immo nec in hominibus, qui hodie ſubduntur. nam qui dominantur, Tyranni ſunt, at, ſubditi, qui ſub Tyrannis uiuunt, ſerui ſunt, quod uir Romanus Pompeius poſt ſui exercitus ſtragem, anteq̃ ad Ptolemæum regem confugeret, dixit, qui domum Tyranni ingreditur ſeruum ſe facit. Is igitur argumentis Peripatetici nonnulli ueram uiuendi libertatem è medio ſubſtulerunt. Philoxenus Plato Epiſtola. 9

Quod uera uiuendi libertas ſit, ſecundum Peripateticos, & Platonicos.

SEd magna res eſt illuſtriſſima Victoria, ut homines id negent, quod ſummo deſiderio uelint, nemo enim eſt, qui natura non appetat, & pro ſe, & pro parentibus & pro amicis, & pro patria ueram uiuendi libertatem, pro hac enim gentes pugnant, pro hac mortis periculis ſe exponunt. ſunt etiam qui proprios fratres, proprios paren-

tes,proprios amicos,& quod ma gis eſt,propriam patriam diruerunt,nec ob aliud,niſi, ut propriam libertatem tueantur,& ſeruent.hæc autem fruſtra fierent,ſi uera uiuendi libertas earum rerum eſſet,quę fieri nequeunt, nemo enim natiuo compulſu mouetur ad id,quod fieri non poteſt .temere enim Gygantes enixi ſunt ad debellandum Iouem, cœlum ſcandere,cum id factu impoſſibile ſit.Prꝫterea Ariſto.omnium ſapientum doctor in libris ethicorum Monaſticam libertatem declarauit & docuit,quam uera uirtus facit,ciuilem autem in libris politicorum,quæ ex rectarum ciuilium legum obſeruatione proficiſcitur.domeſticam uero in libris œconomicorum,quę ex domeſticis legibus recta ratione conſtitutis ortum habet.Si igitur uiuendi uera libertas nulla eſſet, fruſtra in ea demõſtrãda tantus in philoſophia magiſter elaboraſſet.Plato quoq; Rem.P.fecit,in qua communia omnia eſſe uoluit,nec aliam ob cauſam,niſi,ut omnes ciues pari uiuendi libertate fruentur. Argumenta autem Peripateticorum quę priore capite inducta ſunt,poſtea diluemus.Nunc uero ex ijs accipiamus ueram uiuendi libertatem in hominibus eſſe.

Prima opinio eorum,qui dixerunt ueram uiuendi libertatem à paupertate fieri.

POſtea quid eſt illud,quod ueram uiuendi libertatem faciat, diſputemus, eſt enim iſtud nobis exordium ad intelligendum id,quod propoſuimus,nonnulli igitur putauerunt, tunc homines eſſe in uera libertate conſtitutos,cum libere philoſophari poſſunt.(nec ab ratione, nam ſi uiuere eſt operari,& intelligere,& ſapere maxime operari,fit,ut tunc libere uiuamus,cum libere philoſophari poterimus) præterea qui libere mouetur & ſentit,libere uiuit,qui libere imaginatur,& cogitat,longe magis libere uiuit,ergo qui libere philoſophatur, maxime libere uiuere uidetur,quippe cum ad philoſophandum,& motus,& ſenſus,& imaginatio,& cogitatio ſubminiſtrent.ſed cum paupertas,modo extrema non fuerit,magnum momentum nobis ad philoſophãdum afferat, fit,ut ueram uiuendi libertatem,aut paupertas faciat,aut magnum cõmodum prębeat, ut eam adipiſcamur.Quod autem paupertas modo extrema non ſit, ad libere philoſophandum magnum nobis momentum afferat,teſtantur Aegyptij ſacerdotes,qui,ut libere philoſopharentur,bona omnia pręter ea, quę uictui neceſſaria erant, derelinquebant. quod Ariſto.primę philoſophię proœmio narrauit apertiſſime. Anaxagoras etiam Clazomenius,qui,ut libere philoſopharetur, omnia bona ſua donauerat,reſpondere ſolebat, cum ei paupertatem obijcerent ciues,ſi hęc eſſent,ego non eſſem,hoc eſt non uera hominis libertate fruerer.Simili ratione Democritus Abderita omnia paterna bona diſſipauit, arbitratus diuitias impedimento nobis eſſe ad philoſophandum. Crates inſuper ille Thebanus homo quondam ditiſſimus,cum arbitraretur ſe in diuitijs conſtitutum philoſophari non poſſe,magni auri pondus abiecit. Hanc rem probauit uir doctiſſimus Seneca cum dixit,multis ad philoſophandum obſtitere diuitię,paupertas autem expedita ſecura eſt.Aut ergo pauper ſis,aut pauperi ſimilis,ſi animo atq; philoſophię uacare uis,quod

Aegyptij

Anaxagoras

Democritus

Crates

Epiſtola. xvij.

uero

uero qui libere philoſophantur,libere uiuant, ex ijs quæ dicunt,& faciunt, perſpicuum Iſidorus
eſt. Iſidorus Cynicus philoſophus,cum Neronem alloqueretur,libere dixiſſe fertur. be= Plato
ne nauplij mala cantas,male autem bona tua curas. Cum Dionyſius Tyrãnus ad Pla=
tonem ſcriberet,ne malediceret,libere eum reſpondiſſe ferunt,non eſſe tantum ſibi ocij a Diogenes
*philoſoqhia ut in Dionyſium conſiderem.Diogenes etiam Cynicus,qui captiuus in ca=
ſtra ad Philippum Macedonum regem deductus, cum interrogaretur a rege, qui nam
eſſet ,reſpondit exploratorem eſſe ad ipſum profectum,ut inſatiabilem eius rapacitatem
uideret,quam ob rem ea dicendi libertate uictus Philippus ſtatim eum dimitti iuſſit.
Diximus autem modo extrema non ſit paupertas, nam,ut magnus rerum naturalium
indagator Ariſto.dicit,humana natura ad philoſophandum non ſufficit propter corporis* Decimo e=
conditiones.Indiget enim corpus ad ſui ſubſtentationem exterioribus rebus . quoniam thicorũ le=
licet mens quæ incorporea eſt,ad contemplandum ſufficiat, homini autem , ſi ſpeculari ctione.xiij
*debet,primo ſanitate opus eſt. morbis enim ſenſus redduntur imbeciles,quibus homo ad
ſpeculandum fungitur.Diſtrahitur etiam mens a contemplandi munere ob morbos , atq;
dolores.Indiget præterea homo,ut ſeruetur,edulijs,& famulatu etiam , ut ei miniſtren=
tur alia cuncta,quę ad uitam humanam neceſſaria ſunt,non tamen multis , & magnis
opibus opus eſt.Paucis enim natura indiget,multis uero opinio. Quod & doctiſſimus* Epiſtola.x
*Seneca ſcribit,exiguum natura deſiderat,opinio immenſum . & propterea ſi ad natu=
ram uiues,nunq̃ eris pauper. Si ad opinionem,nunq̃ eris diues. quot uero,& quantis ho
mini ad philoſophandum opus ſit, Ariſto.optimus rerum rimator expoſuit libro ethico* Lectione
rum decimo,ideo bona fronte prætereo.Illud tamen omittendum non puto,Protagoram xiij
philoſophum non eſſe bene philoſophatum ob ſummam pauperiem,erat enim adeo pau= Protago=
per(uti Gellius ſcribit)ut uictus quęrẽdi gratia uecturas onerũ corpore ſuo factitaſſet. ras

Eorum opinio,qui dixerunt ueram uiuendi libertatem à diuitiarum copia proficiſci.

*NOn poſſum non admirari eos illuſtriſſima Victoria , qui tam aperte dicunt ad
uerſus ea,quæ ſenſibus noſtris ſubiacent,uidemus enim,ac proprijs oculis cer=
nimus eos, qui diuitijs exuperant,liberiore uita potiri , q̃ cæteros omnes qui paupertate
premuntur,immo plerunq; hos illis famulari.Reperi etiam non raro in domibus diui=
tum philoſophos,& quaſi ſemper poetas,qui paupertatem cõmendant.contra autem aut
nunquam,aut q̃ rariſſime.Si ergo diuites compellunt pauperes , contra uero aut nun=
quam,aut raro,quo nam pacto audent dicere eos,qui in paupertate conſtituuntur, libe=
riore uita potiri,q̃ locupletes.Propterea alij tradunt diuitiarum copiam longe maiorem
uiuendi libertatem parere paupertate,huius opinionis eſt Menander,cum inquit,uis ſunt* Menander
*mortalibus diuitię.& eodem libro dicit, Aurum autem aperit omnia,& inferni portas.
Virgilius etiam dicit,Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames.& Horatius,
Omnis enĩ res uirtus,fama,decus,diuina,humanaq; pulchris diuitijs parent,quas,qui cõ
ſtruxerit,ille clarus erit,fortis,iuſtus,ſapiens,& etiam rex.Cũ enim crediderint omnia*

emi poſſe pecunia, etiam libertatem tradunt, aut à pecunijs, atq; opibus proficiſci: aut nõ eſſe ueram libertatem abſq; diuitijs. deinde diuitiæ amicos efficiunt, quod Menander aſſerit, cum dicit. Si aũt habebimus pecunias, habebimus amicos. et Ouidius in faſtis, In precio preciũ nunc eſt, dat cenſus honores, Cẽſus amicitias, pauper ubiq; iacet. per amicos autẽ (quemadmodum ſummus philoſophorũ doctor Ariſto. octauo ethicorum libro ſcribit,) & diuitiæ, & omnia externa bona conſeruari atq; cuſtodiri uidentur, etiam libertas augeri. Qui enim amicis exuberant, liberiorem uitam uiuunt, q̃ qui ſoli uiuunt. Ad hæc aurum potentius eſt eloquentia. quod Euripides tradit, cum dicit, Aurum autem potentius infinitis ſermonibus hominibus. Conſtat autem eos qui dicendi artem percallent, liberiores eſſe ad iniurias inferendas, nam per artem dicendi (ut Ariſto. rhetoricorum primo ait) facilius iniurias inferunt, atq; coram iudicibus facilius partes ſuas tuentur. Qui poteſt iniurias inferre, atq; illatas facilius propulſare, atq; ulciſci, hic liberiore uita potiri cenſetur. Poſtremo natiuus appetitus non eſt ad id, quod non eſt, conſtat autem nos omnes natura quadam propenſione moueri ad diuitias habendas, nec alia ratione, niſi quia credimus, per eas ſufficientiore, atq; liberiore uita potiri poſſe. quare diuitiæ aut libertatem efficiunt, aut libertas ſine diuitijs imbecilla eſt ac mutilata.

Opinio eorum, qui dixerunt ueram uiuendi libertatem fieri à ſolitudine.

Cap. 5. FRanciſcus Petrarca poeta inſignis in eo libro, quem de uita ſolitaria edidit, firmiter arbitratur in uita ſolitaria duntaxat ocium eſſe, & libertatẽ; dicit neq; enim ſolitudinis ſolum nomen, ſed quæ in ſolitudine bona ſunt, laudo. nec me tam uacui receſſus, & ſilentium delectant, q̃ quę in his habitant, ocium, & libertas. Tyberius etiam cum opinaretur in ſolitudine liberiore uita potiri poſſe, in Capreas inſulam commigrauit, ubi liberiore uita potitus eſſet, niſi eam libidinibus, atq; infamibus illecebris defœdaſſet. hanc eandem & ob eandem cauſam, elegit. Seruilius, qui prope Cumas ſenuit, quam aſſecutus eſſet, niſi ocio famoſus, intra uluę ſuę ſeptum habitans, ſepultus eſſet. Aiax etiã, ut uberiore libertate, atq; iucundiore otio frueretur, loca deſerta proſecutus eſt. Vnde Homerus, Aſt. hic q̃do etiam grauior dijs omnibus erat in campos ſolus latos, inq; auia rura Ipſe ſuum cor edens hominum ueſtigia uitans. Deoclicianus quoq;, qui primus ex noſtris imperatoribus ſe uti deum adorari iuſſerat, publicã ſeruitute opreſſus, ut in otio cum ſumma libertate uiueret, Imperium deſerens, in ſolitudinẽ conceſſit, Numa Pompilius ſi illius ordinis numerum attendas. ſecundus, ſi iuſtitiam, primus, peregrinus inſperatum ad imperium accitus, cum ſacrarum rerum cura defatigaretur, pro libera uita fruenda in ſolitarium locum atq; opacum paſſuum milibus ab urbe diſtantem digrediebatur. Simili cauſa Romulus, Achilles, Hercules, duo illi Africani, cęteriq; Cęſares, cum uellent ſuę uitę libertate potiri, curis, magiſtratibus, atq; negotijs uacabant, exiſtimantes liberam uitam eſſe non poſſe in publicis rebus. Præterea (ut ſuperius diximus) uiuere eſt

Tyberius

Seruilius

Aiax

Deoclitianus

operari

operari,ergo circa eam hominis operationem potiſſimum libertas attendenda eſt, quę cæ
teris eſt potior,& ad quam cæterę omnes,ut in finem ordinantur.hęc autem eſt contem
platio numinum,quę contemplatiua uita a philoſophis appellatur . hęc enim actiua uita
præſtantior,melior,ac iucundior eſt,quoniam illius gratia hęc adminiſtratur.Vſus enim
moralium uirtutum , qui in actiua ipſa uita pręcipitur , ad contemplationem diſponit,
quod Ariſto.philoſophorum primarius ſeptimo phyſicę auſcultationis libro tradit,aſſerens
animum ſedendo,& quieſcendo ſcientem fieri atq; prudentem. Sedatis enim affectuum
motibus per uſum moralium uirtutum anima diſponitur,ut libere in diuinorum contem=
plationem attolli poſſit.qua ratione fit;ut uirtutum actus , quos in actiua ipſa uita per
leges ciuiles pręcipitur ab hominibus obſeruari , in diuinarum rerum contemplationem
tanq̃ in finem ordinentur.non enim reges ſua regna bene gubernare enituntur, propter
bonum ciuile tantum,quod in mortalibus rebus eſt.Deus enim optimus non ſatis pręmij
eſſe putans,quicquid in terris mortalibus tradi poteſt, hos reges,qui pietatem, iuſtitiam,
cęterasq; uirtutes coluerunt,& ciuitates,& populos,& gentes, & nationes,optime gu
bernarunt ſempiterni æui participes reddit,ut æterna cum numinibus uita fruantur.
uita igitur potiſſima,ad quam omnes aliæ ordinantur,diuinorum contemplatio eſt. Qua=
rè in hac ſola uiuendi libertas attendenda eſt,ut is ſolus libere uiuere ſit dicendus , qui
diuinas res libere contemplari poteſt. Hanc uero aut facit , aut facilem reddit ſolitudo.
Teſtantur rem hanc uiri ſanctiſſimi,Dorotheus, Antonius,Hammonius; qui ne ſolitudi=
ne priuaretur,aurem ſibi pręſecauit.Macharius, Arſenius,ſimplex Paulus ; Pachomius,.
Stephanus,Pamphutius,Elpidius,Ioannes Ægyptius,Zeumatius,Didimus,Ilarion,Silue
ſter,qui in Soractis monte latuit,diuitum primus ille pontificum Ambroſius ut in ſolitu
dine diuina libere contemplaretur,Mediolani habitauit in extremo ciuitatis angulo. Au=
relius Auguſtinus poſtq̃ ab Ambroſio ab erroribus,quibus animus æger erat, curatus eſ
ſet,in Caſſeatum Mediolani rus digreſſus eſt,ut liberius diuina,quę ab Ambroſio acce=
perat,ruminaret.Baſilius,cuius feruens diſcipulus fuit Gregorius Nazarenus. Hierony=
mus Romanis opibus cōtēptis,in uaſtiſſimam ſolitudinem ſe contulit, ut ualidius ac libe
rius diuina curaret.Benedictus relictis Roma atq; Rimeſia ut diuina ardentius coleret,
ac liberius contemplaretur,non modo ſolitudinem,uerum & deſertum petijt,ubi in ſolita
rio ſpecu diu habitauit,quod qui uiderunt,uidiſſe admodum diuinorum ſedem tradunt.
Martinus quoq; cum uidiſſet ſe in hominum cœtu diuina colere,atq; ſpeculari non poſſe,
ut illa libere intelligeret, ac intellecta obſeruaret , in Maſſicum montem ſe recepit , qui
prope Sueſſam eſt,hic cum ſerpente terrifico,ſub cuius ſpecie uetus ſerpens terribilior la=
tebat,uno eodemq; ſpecu continue ſine offenſa toto triennio uerſatus , illo demum mira
patientia procul pulſo,ipſe uictor in ſolitudine permanſit, ſunt & alij plurimi uiri atq;
mulieres ſanctiſſimę,quæ ſolitudines mirum in modum inhabitarunt, nec ob aliam cau=
ſam(ut arbitror)niſi ut libere uiuerent atq; libere numina,& colerent,& contemplaren=
tur.nec uiri ſanctiſſimi tantū,ſed philoſophi celeberrimi.ut Gymnoſophiſtæ, Bragmani,

Chaldi,

Chaldei,Druides,Magi,& apud Grecos Sophi.hi enim omnes,& ut libere uiuerent,& libere numina ſpecularentur,& obſeruarent,magnas ſolitudines queſierunt.

Quo modo Plutarchus non iuſte carpit eum qui dixit λάθε βιώσας, id eſt, ſic uiue,ut nemo te ſentiat uixiſſe.

PHiloſophus quidam ſolitudinis(ut puto)maxime amicus, homines ſe ponere in tanta ſolitudine pręcepit,ut nemo eum uixiſſe ſentiat, quod pręceptum Plutarchus Chęronenſis carpens,dicit, At ne ille quidem ipſe,qui hoc dixit,latere uoluit? Quandoquidem hoc ipſum ideo dixit,ne eſſet ignotus,ſed uideretur aliquid ſupra uulgus ſapere,adhortãdo ad glorię contemptum,immeritam ſibi parans glóriam. An hoc ipſum dixit,quia uiuere turpe eſt,ut omnibus conueniat eſſe ignotum. Ego ſane ſic exiſtimo, hoc ipſum quod uiuimus,quod omnino naſcimur, quod in hominum genus aſciti ſumus, in hoc adeo donatum eſſe,ut innoteſcat.quippe cum generatio nihil aliud ſit,niſi rei,quę latebat,(ut Anaxagoras inquit)manifeſtatio,neq; enim ille producit,aut gignit omnia, quę naſcuntur:ſed oſtendit,quemadmodum nec corruptio eſt ſublatio ad non eſſe, ſed magis abductio rei diſſolutæ ad obſcuritatem.immo,ut inquit, ne male quidem uiuens latere uelis,ſed eſto notus,ne maneas incuratus:perinde eſt, ac ſi dicas, nemo te ſciat febricitare,nemo te ſciat teneri phreneſi,ne te nouerit Medicus,abi,conijce te aliquo in tenebras ignotus una cum tuis malis.Hęc & multa alia Plutarchus obijcit aduerſus huiuſmodi pręceptum. Ego uero pace tanti uiri dixerim eum,qui ſic dixit,non arbitror intellexiſſe,ita uiuas,ut non uiuas.ridiculoſum enim eſſet pręceptum huiuſmodi,qui autem pręcipit ſic uiuendum eſſe,ut nemo ſentiat eum uixiſſe,hic pręcipit ſic eſſe uiuendum, ut non uiuas.qui enim uiuit,neceſſe eſt ut ſentiatur uiuere ſaltem a parentibus,qui eum uſq; ad ætatem perfectam educarunt.Quare qui pręcipit uiuendum eſſe, ut nemo ſentiat te uixiſſe,pręcipit ita eſſe uiuendum,ut non educaris.& ſic pręcipiet ita eſſe uiuendum, ut non uiuas. Hoc autem pręceptum ſub hoc ſenſu a philoſopho illo non arbitror eſſe traditum.opinor igitur eum philoſophum intellexiſſe ſic unumquemq; uiuere, ut nemo per offenſas, aut per iniurias,aut per cętera id genus ſentiat eum uixiſſe: quod aſſequetur ille,cum petierit,ſolitudinem,in qua diuina ſpeculetur,& colat.qui enim in contemplatione,ac cultu rerũ diuinarũ uixerit,hic ita uiuet,nulli iniurias inferendo,aut offenſas tribuẽdo,ut a nemine uixiſſe ſentiatur.Redeũdo igitur ad id,unde digreſſa eſt oratio, iſti ſunt,q̃ aſſerũt ſolitudinẽ uerã libertatẽ efficere,aut nõ eſſe uerã libertatẽ ſine ſolitudine.

Aduerſus Plutarchũ

Opinio eorum,qui dixerunt,ueram libertatem uiuendi proficiſci à potentia ciuili.

QVoniam ſolitudini aduerſatur ciuilis uita,quę poteſt eſſe duplex dominantium & ſubditorum,ideo alij dixerunt dominantium potentiam efficere uerã uiuendi libertatem.

libertatem per hanc enim homo dominus eſt ſuorum actuum, & eorum, quibus dominatur. præterea qui poteſt alios compellere, & a nullo compelli, hic uere liber dicitur, huiuſmodi eſt Rex per potentiam dominicam in ſuo regno. Inſuper quemadmodum Ariſto. inquit politicorum ſexto, opus libertatis eſt uiuere, ut uult aliquis, quia ſeruus non uiuit, ut uelut. Sed homo per dominicam poteſtatem uiuit ut uult, aſſtipulantur huc res geſtæ Regum. Reges enim pro tuenda Dominica poteſtate parentes, fratres, amicos, ſubditos necant, atque peſſundant: quæ Syllam feciſſe patet, qui pro tuenda dominica poteſtate Romam, & uniuerſas Italię partes ciuilis ſanguinis fluminibus inundauit. Sylla Ptolemæus Rex Ægypti gratia ſuæ dominicę potentiæ ſeruandæ filium ſuum Memphitem (quem ex Cleopatra uxore eadem & ſorore ſuſtulerat) occidi iuſſit. Ptolemęus Cambyſes eadem cauſa fratrem, & duas ſorores occidit. Septimus Seuerus Imperator poſt Didium Iulianum Clodium albinum tumultuantem ſimili cauſa interfecit, & capite eius Romam miſſo corporis truncum equo refugienti conculcandum prębuit, fuerunt & alij plurimi, qui hęc & plura alia fecerunt regnandi cauſa. Seuerus

Refutatio.

SEd huic opinioni nec uiri ſancti, nec philoſophi aſſentiunt. Ambroſius, ſeruit quicunque uel metu frangitur, uel delectatione irretitur, uel cupiditatibus ducitur, uel indignatione exaſperatur, uel mœrore deijcitur, ſeruilis enim eſt omnis paſſio. Sed qui dominicam poteſtatem affectant, hi paſſionibus ſeruiunt. De Iacob et uita beata lib. ii. Hieronymus, eſt ſapienti ſeruire libertas, ex quo colligitur qui ſtulto imperare, ſeruitus eſt, & quod peius eſt, cum pautioribus pręſit, pluribus dominis, & grauioribus ſeruit, ſeruit enim proprijs paſſionibus, ſeruit ſuis cupiditatibus. In Epiſtola ad Simplicianum. Quarum dominatio nec nocte, nec die fugari poteſt, ſiquidem intra ſe dominos habet, intra ſe ſeruicium patitur intollerabile. Diogenes Cynicus aduerſus Alexandrum aſſeruit ſe eſſe dominorum, qui Alexandro imperitabant, dominum. Quia erat paſſionum dominator, quas Alexandro dominari dicebat. Plato dictitabat uerum dominum eſſe, qui proprijs affectibus dominatur. quibus, ut inquit, reges ſubduntur. Cyrus apud Xenophontem dicebat eum, qui dominari deſiderat, primo ſibi dominetur. nam reges, qui a paſſionibus capiuntur, ſunt ueriſſime ſerui.

De triplici hominis uita.

PRo dilucidanda ueritate Illuſtriſſima Victoria primo de hominis uita diſtinguendum eſt. Eſt enim altera, quam græci Monaſticam dicunt, hoc eſt ſolitariam, quę hominis eſt, non quidem, quo eſt ciuitatis pars, aut domus, ſed quo eſt homo uiuens ſibi ſenſu, intellectu, atque uirtute altrice, uiuit enim homo monaſtice, non quidem ſola mente, ut quidam putant, ſed ſenſu, mente, ac uirtute altrice, modo ſibi, non autem ut domus, uel

ciuitatis pars, uiuat. Altera eſt uita, quam græci Politicam, hoc eſt ciuilem uocant, & per hanc homo uiuit in ſocietate ciuili, uiuit enim per hanc, ut pars ciuitatis, qida aut ut princeps aut ut ſubditus. tertia inter has media eſt, quam græci œconimicam appellant, hoc eſt domeſticam, uel familiarem. & per huiuſmodi in ſocietate domus, aut ut gubernans aut ut gubernatus uiuit, de prima hominis uita in æthicis, de ſecunda in politicis, de tertia autem in œconomicis Ariſtoteles naturæ rimator pertractauit. Quippe cum unaqueq; eſſe poſſit recta, & obliqua. Ideo opus erat in unaquaq; inuenire principem, qui gubernaret, & ſubditum, ut ita dixerim, qui gubernaretur.

De multiplici principatu, deq; multiplici ſubiectione.

Q Voniam uita hominis quædam communicatio eſt, in qua multa communicat, ut unum finem conſequantur. In omni autem communicatione quæ ex pluribus coaleſcit, ſiue illa plura coniuncta ſint ſicuti corporis membra, quæ ad totius integritatem coaleſcunt, ſiue diuiſa, ceu ex pluribus conſtituitur una ciuitas, uel una domus, aut unus exercitus, aut aliud id genus. ſemper expediens ac naturale eſt, ut alterum imperet, alterum pareat. Quare in humana uita, quæ multorum communicatio eſt, neceſſe eſt alterum eſſe quod imperet, alterum quod pareat. Et cum humana uita altera ſit monaſtica altera politica, tertia autem inter hos media œconomica, fit, ut in ſingulis huiuſmodi ſemper expediens, ac naturale ſit, ut alterum ſit, quod imperet, alterum quod pareat. Quare non iniuria in uita hominis monaſtica quæ cõmunicatio quædam monaſtica eſt, principatus monaſticus eſt. In Politica, ciuilis, ſiue Politicus: in œconomica domeſticaq; œconomicus ac familiaris. Præterea cum omnis communicatio ordinetur ad aliquem finem, cuius gratia facta eſt finis autem acquiri non poſſit, niſi per actus quoſdam eorum, quę in communicatione ſunt. Verbi gratia communicatio exercitus ordinatur in uictoriam, quę expleri non poteſt, niſi per plures militares actus eorum militum, qui in exercitu ſunt. Actus autem, ſi finem aſſequi debent, ordinate fieri neceſſe eſt, nihil autem fit ordinate, niſi in communicatione ſit, quod imperat, & quod paret, quare in omni communicatione, in qua plura conueniunt ad unum finem, oportet eſſe imperans, & parens.

De monaſtico principatu deq; libertate & ſubiectione.

E T cum homo conſtet ex anima, & corpore, neceſſe eſt ut alterum natura imperet anima. ſ. alterum pareat corpus: uidelicet modo conſideremus, hęc non in corruptis, ſed in ijs, quę ſe habent ſecundum naturam. nam in hominibus morbo aliquo affectis, fieri poſſet, ut anima corpori non imperet, nec corpus pareat. Similiter in hominibus qui in ſceleribus conſueuerunt, fieri poterit, ut appetitus rationi imperet. in commu-

nicatione

nicatione igitur humana,quæ conſtat ex anima,& corpore,dup'ex principatus cerni
tur:alter dominicus, qualis eſt domini ad ſeruum:quem græci deſpoticum dicunt, hoc
eſt Herilem. talem principatum in membris corporis intuemur manibus uide icet, &
pedibus,cæteriſq; id genus,huiuſmodi enim membra corporis ſine contradictione ani
ma iubente ad opus mox ſe accingunt. Nec ratione alia, niſi quia anima dominatur,
corpus autem ſeruit,modo non fuerit morbo affectũ,ut conuulſione,aut id genus: Alter
principatus cernitur ciuilis,ſiue regius,qualis eſt principis ad ſubditos. & hoc pacto
ratio appetitui dominatur,non quidem,ut diximus principatu qui eſt ad ſeruos, ſed ad
liberos,qui ſubduntur. Nam quemadmodum ſubditi regibus aduerſari poſſunt,ſic ap-
petitus non nunq̃ aduerſatur rationi,aliqua imperando contra motum rationis. Cauſam
autem huius diuerſitatis aſſignamus ex eo,quoniam corpus non niſi ab anima moueri
poteſt,ideo ei ſubijcitur omni ex parte,modo non ſit morbo affectum. Senſualis autem
appetitus & a ratione,& a ſenſu moueri poteſt,ideo non omni ex prate rationi ſubia
cet. In utroq; autem regimen,ut Ariſto. optimus rerum naturalium indagator inquit
primo politicorum libro,ſubiectio naturalis eſt ac expediens quippe cum corpus ipſum
diſſolueretur,niſi animæ ſubijceretur. appetitus autem corrumperetur niſi rationi ſub
eſſet, Ex ijs perſpicuum quid ſit monaſtica libertas,quidue ſubiectio, eſt enim libertas
monaſtica,quotiens homo propter rationis principatum,appetui imperat. Tunc enim in
uera,& propria uiuendi libertate eſt, eſt enim ratio homini propria, & rationi expe
diens ac naturale,ut appetitui imperet. ſubiectio uero,quoties appetitus à ſenſibus ip-
ſis perſuaſus imperat rationi,aut ſaltem non ſequitur rationem. Tunc enim homo in
monaſtica ſubiectione eſſe uidetur,quæ non eſt homini propria, ſed communis belluis
cum hominibus prauis. Appetitus enim in belluis ipſis ſenſibus ſubiacet,atq; paret,quẽ
admodum ſeruus domino. dicitur autem propria homini libertas,qua humana ratio do
minatur appetitui ſenſitiuo quoniam ratio quæ appetitui imperat,homini propria,ac pe
culiaris eſt,imperium autem,quo in homine ipſo ſenſus imperat appetitui,nec humanũ
eſt,nec homini proprium, quippe cum in belluis etiam reperiatur, ſenſus enim in eis
appetitui dominatur.

De Politico ac ciuili principatu,deq; libertate ac ſubiectione.

QVoniam autem idta ipſa Politica ſiue ciuitas,ſiue regnum,ſiue id genus,com-
municatio multorum eſt,qui unum finem intendunt, bonum uidelicet ciuile,
quicquid illud ſit,ideo oportet,ut in ipſa alterum ſit,quod imperet,alterum
autem quod pareat,ideo ciuilis huiuſmodi multiplex eſt,altera, in qua unus imperat,
altera in qua plures,ſi quidem unus,hęc a græcis ipſis monarchia dicitur, quę rurſum
ſubdiuiditur,nam ſi qui imperat,commune ipſum bonum curat,& qui ſubduntur,libe-
re,ac uolentes ſubijciuntur,hæc à græcis Baſilia,latine regnum nuncupatur. Si autem

qui dominatur, proprium, ac priuatum bonum procurat, & qui ſubduntur, id ſubijciuntur, hæc tyrannis appellatur. At ſi plures imperitauerint, dominatio hæc Politia gręcæ dicitur, in qua ſi pręſint pauci, qui optimi atq; uirtute inſignes ſunt, & quidem ob commune ipſum bonum, hęc gręcæ Ariſtocratia, latine optimatum potentia dicitur. Si pręfuerint pauci, qui potentiores, atq; nobiliores, quiq; ditiores ſunt, & quidem propter proprium, ac priuatum bonum, hęc gręcæ oligarchia, latine paucorum poteſtas appellatur. At ſi multi pręfuerint, hi autem propter commune bonum ſecundum leges dominátur, Timocratia gręcæ latine Res publica dicitur. hæc a nonnullis bona ratione Iſonomia uocatur. quaſi iuris æqualitas. At ſi propter proprium ac priuatum bonum, nec non & præter leges ui dominentur poteſtas hęc Democratia hoc eſt popularis potentia uocanda eſt, quibus patet ciuiles dominationes, quæ ſimplices ſunt, eſſe ſex dico ſimplices, quoniam (ut Plato aſſerit) ſunt dominationes etiam miſtæ, ueluti ea, quæ ex Ariſtocratia, & Timocratia conſtat, inſuper & ea, quę conſtat ex Democratia & Oligarchia, & cęteræ id genus, de quibus alibi diſſerendum eſt, nunc uero ſatis ſit ſex eſſe dominationes, quarum tres Tyránicę ſunt, ut ea, quę per quandam excellentiá Tyránis appellatur, & Oligarchia, quę paucorum poteſtas eſt. & Democratia, quæ popularis dominatio appellatur, quæ uero Baſilia hoc eſt regnum, & Ariſtocratia, & Timocratia, ſiue Iſonomia dominatiões regiæ ſunt, nam qui regnant, Secundum leges, & quidem ob cõmune bonum imperitant. Ex ijs perſpicuũ eſt, quid ſit ciuilis libertas in politica hominis uita, quidue ſubiectio, qui enim dominatur, in ciuili libertate uiuit, qui aũt ſubditur, in ſubiectiõe quę ſubiectio praua eſt, ſi tyránica ſuauis uero ſi regia fuerit dominatio.

De Oeconomico atq; domeſtico principatu, deq; ſubiectione, ac libertate.

QVoniam etiam uita hominis œconomica, ſiue in ſolitudine, ſiue in ſocietate agatur, quædam communicatio eſt multorum, qui in una domo, uel caſa coaleſcunt, propter domeſticum ipſum bonum, quod ex proprijs actibus aſſequi enituntur, quicquid illud ſit, ideo, ut actus ordinate ab eis proficiſcantur, oportet in ea eſſe aliquod, quod imperet, aliquod quod pareat, & quoniá in huiuſmodi uita adhuc tres cómunicationes cernimus, alteram, quę uiri, & uxoris eſt, alteram uero, quę eſt domini ad ſeruũ. Tertia quæ eſt patris ad liberos, ideo in œconomica ipſa hominis uita triplex principatus eſt, primus uxorius, in quo uir pręeſt, uxor uero ſubijcitur. Secũdus Deſpoticus hoc eſt Herilis, in quo pater familias qui dominus eſt, dominatur, ſerui ſubduntur. tertijs deniq; paternus, in quo pater pręeſt, liberi obediunt. Mater autem quia reducitur ad uirum, (gerit enim uxor perſonam uiri) in œconomica hominis uita quartum principatum nõ efficit, locuti autem ſumus in œconomica hominis uita perfecta, quoniam multæ ſunt domus imperfectæ, in quibus non ſunt niſi uir & uxor. Ex ijs non erit obſcurum, quid in œconomica hominis uita, ſit libertas, q́due ſubiectio, eſt enim libertas in uiro, ad uxorẽ,

in patre

in patre, ad liberos à domino ac hero ad ſeruos. ſubiectio aũt in uxore, liberis, atq; ſeruis.

De uera atq; propria uiuendi libertate in homine.

HIis ad amuſsim dilucidatis, non erit difficile exponere quid ſit in homine uera ac propria uiuendi libertas, non enim libertas uiuendi quæ eſt propria homini, eſt facere quicquid uoluerit, ſic enim Soli reges, uel Tyranni eſſent in uera uiuendi libertate, eſt igitur propria ac uera uiuendi in homine libertas, facere, quicquid ratio recta iubet. Nam qui facit quod ratio recta faciundum eſſe cenſet, hic utitur propria, & uera libertate, in qua appetitus obedit, & ratio imperat. Hæc dicitur libertas homini propria, non q; ſemper inſit, ſed quoniam ſoli ineſt, & ſemper apta eſt in eſſe. Eſt aũt uera libertas, quia cæteræ per comparationem ad hanc dictæ ſunt, quaſi libertas ſit primo ac principaliter de monaſtica libertate dicta, de cæteris autem, ut logicorum uerbis utar, per analogiam ad hanc. Præterea hæc libertas in cæteris libertatibus, ſi iuſtę fuerint, præſupponenda eſt, ſi enim libertas domini ad ſubditos fuerit iuſta, præſumendum in eo eſt rationem imperare, appetitum ſubijci. Si libertas patris familias ad eos omnes, quibus præeſt, fuerit rationabilis, etiam oportet ſupponere in eo rationem præeſſe, appetitum ſubeſſe. Inſuper hæc monaſtica libertas, etiam in ſubditis ſupponenda eſt, in his enim qui ſubduntur ratio imperat eſſe optemperandum, appetitus autem obedit, & ſubditur. Monaſtica igitur libertas erit homini propria, quia non cum belluis communis, erit uera, quoniam cæteræ ab ea deducuntur, & per analogiam ut ita dixerim, ad ipſam ſunt dictę. Erit deniq; communiſſima, quoniam homini competit, in omni ſtatu: Tam ſi princeps, q̃ ſi ſubditus, inſuper tam ſi pater familias, q̃ ſi domeſticus, fuerit. Differt autem in homine uiuendi uera libertas, & uoluntatis abſoluta libertas. Nam abſoluta uoluntatis libertas, contra dictionis eſt in differentia, quæ nihil aliud eſt niſi uoluntas: quæ per eſſentiam, ut ita dixerim, eſt libera. Vera autem uiuendi libertas, eſt ad ea ſolum ſecundum quę ratio uiuendum eſſe monet.

Quod prudentia faciat ueram uiuendi libertatem.

CVm ex ijs perſpicuum ſit, rectam rationem facere ueram in homine uiuendi libertatem, prudentia autem ut Ariſto. tradit, ſit recta ratio eorum, quę agimus, uel acturi ſumus: fit ut prudentia, cum in ipſa mente ad habitum tranſierit, ueram uiuendi libertatẽ efficiat, cum enim prudentia in nobis ut habitus fuerit, recta ratio agendi nobis ut habitus erit, & in ipſo appetitu habitus obediendi rationi, cum itaq; in appetitu recte obediendi habitus emicat, in ipſa autem mente habitus recte imperandi, tunc erimus in propria atq; uera uiuendi libertate. Nam uere libere uiuimus, cum quicquid egerimus, non pro appetitu uincente ſed pro ratione recta iubente, fecerimus: ratio enim

tio enim recta homo eſt, ut plato inquit, appetitus autem bellua. Quare ſi pro ratione iubente principibus obedimus, & non, pro appetitu uincente, libere agimus, non enim in uiti paremus. Inſuper ſi pro ratione dictante, non autem pro appetitu ſubuertente patri familias ſubdimur, libere ſubijcimur, non autem inuiti. Princeps etiam ſi pro ratione conſiliante ſubditis imperat, & non pro appetitu compellente, libere dominatur, & uiuit, ſin autem pro appetitu urgente, nec libere, dominari nec libere uiuere dicitur, ſimili ratione in Oeconomica ipſa uita de patre familias, & eius ſubditis dicendum eſt. Eſt igitur, ut ita dixerim, uerisſimum, uirtutem, ueram in homine uiuendi libertatem efficere quippe cum prudentia id efficiat, per quam omnes uirtutes in ipſo homine connectuntur quæ princeps, & mater omnium uirtutum eſt.

De ijs, quę ſibi aſciſcit uera uiuendi libertas, & de paupertate.

POſt hęc conſequens eſt dicere de his quæ ſibi aſciſcit uera uiuendi libertas. Primo aſciſcit paupertatem, nam ſi paupertatem eſſe ferendā pręcipit recta ratio, & eam pro ipſa ratione dictante ferimus, non autem pro appetitu aduerſante, in ea uiuere libere dicimur, libertateq; uiuendi noſtra potimur. At ſi pro appetitu compellente, ratione autem non iubente, eam portamus, in ea non libere uiuemus, non enim ut homines, ſed, ut belluæ agimus.

De diuitijs.

SImili ratione uera uiuendi libertas diuitias ſibi aſciſcit. Si enim diuitias eſſe habendas recta ratio monet, & eas pro ratione monente poſſedemus, non autem pro appetitu compellente, in diuitijs uera uiuendi libertate potiri poſſumus. Perſuadet autem recta ratio diuitias habendas eſſe, non pro poſſidendi, ſed pro diſtribuendi appetitu. Diſtribuuntur autem recte, quoties pro liberalitate, magnificentiaq; ſeruanda, pro honoribus, diuinoq; cultu, pro emendis inſtrumenti ad uirtutes exercendas, eis utimur. Inſuper ratio monet, ut diuitiæ, quę ſunt bona externa, ordinentur ad animi bona. Et non ut per ſe diligantur, ſed, ut inſtrumenta eorum, quæ per ſe ſunt diligenda, poteſt igitur diuitijs quis abundans, uera uiuendi libertate potiri. Quod ſi argumenta ſuperius inducta aliquid probare uidentur: diuitias efficere ciuilem libertatem monent, non autem ueram libertatem, niſi modo quo nunc expoſuimus.

De ſolitudine.

NOn ſecus uera uiuendi libertas ſolitudinem aſciſcit. Si enim pro ratione perſuadente ſolitudo eligatur, non autem pro appetitu allucinante, (ut fortaſſe fuit in

Petrarcha

Petrarcha ſui ætate doctiſſimo uiro,) in ſolitudine, uera uiuendi libertas habetur. Nec eſt uerum ꝙ uera uiuendi libertas ſit libere philoſophari. Quoniam ſi recta ratio nos ad philoſophandum non moneret. In philoſophando non erit uera uiuendi libertas. Monet autem ſemper recta ratio ut nos deum diligamus, ipſumq; contemplemur, ideo in huiuſmodi dilectione atque contemplatione uera uiuendi libertas eſt. Non autem nego in ſolitudine facilius nos poſſe uera uiuendi libertate potiri. Nam cum hęc ſit monaſtica uiuendi libertas, uidetur facilius homini ineſſe, aut ſaltem ineſſe poſſe, cum homo in ſolitudine eſt, eſt enim tunc homo, homo, & nihil aliud, cum autem uera uiuendi libertas inſit homini, quia homo eſt homo, & nihil aliud: uidetur in ſolitudine ueram uiuendi libertatem facilius homini poſſe ineſſe. Modo ſolitudo hominis non tanta ſit, ut nemo ſentiat eum uiuere. Deſideranda enim ſunt in ſolitudine ipſa ea, quæ ſunt uictui neceſſaria, necnon & famulatus, & tu intelliges deſideranda hæc eſſe ratione ipſa iubente: in ratione enim recta eſt omnis radix libertatis.

De ciuili potentia.

EOdem modo uera uiuendi libertas ciuilem potentiam aſciſcit. Princeps enim qui eſt in ciuili ipſa potentia, ſi in ea fuerit, ut recta ratio perſuadet, non autem ut appetitus compellit, in ea ipſa poteſtate uera ac ſumma uiuendi libertate uidetur potiri, non modo regia, ſubditis imperando ſed monaſtica, ſuo appetitui iubendo. Potentia enim ciuilis, non ueram, ſed ſpuriam, ut ita dixerim, libertatem efficit. Veram enim uiuẽdi libertatem uirtus efficit in nobis, potiſſimum prudentia, quę, ut diximus, nihil aliud eſt niſi recta agendorum ratio. Hæc enim facit nos iuſtos, liberales, ueridicos, magnificos, magnanimos, fortes, manſuetos, continentes, urbanos, & in omni uita liberos, cum abſoluat nos ab ea neceſſitate, quam appetitus in nobis efficere ſolet. In hac uirtute, quæ omnes complectitur, ſecundum peripateticos eſt humana felicitas, operari enim ſecundum hanc omnes homines natura deſiderant. Reges ergo, niſi fuerint prudentes, libera uita frui non poterunt. Quæ enim agunt, non moti a recta ratione, ſed obruti appetitu facere uidentur. Potentia itaque & ſceptrum non ueram ſed ciuilem libertatem efficiunt uera ergo uiuendi libertas, monaſtica eſt, quæ & paupertatem, & diuitias, Solitudinem & potentiã, & cætera id genus ſibi aſciſcit, quęque in omni hominis ſtatu eũ liberũ facit.

Qui in uera uiuendi libertate uixerunt.

NŨc qui in uera uiuẽdi libertate uixerint, exponamus, non enim omnes hac uiuẽdi libertate uiuere audiuimus. Itaque diſcipuli domini, qui heroica uirtute clari fuerũt, ſumma prudẽtia, ac ſanctiſſima ratione affecti, uera uiuendi libertate potiti ſunt nec mirum, nam uirtutũ dominum, uitæq; ducem doctorem habuerunt, a quo ſanctiſſimam

prudentiam accipientes, fortes temperantes, liberales, magnifici, magnanimi, ueraces, Iuſti, manſueti, Heroici, atq; ſancti euaſerunt. Et licet uiri omnes ſancti in hac uiuendi libertate ſine dubio fuerint, (quos, & quot enumerare eſſet longum,) non ſunt tamen ſub ſilentio prætereundi nonnulli. Qui aliquibus inſignioribus libertatis actibus, clari fuerũt.

Reges Æthiopum

Æthiopum itaq; reges uſq; ad Ptolemei regis Ægypti tempora conſueuere, cum eis a ſacerdotibus Iouis, (qui apud Meroem tunc colebatur.) denunciatum eſſet, deo inuiſam eſſe eorum uitam, ſe conferre in ſolitudinem, in qua ſacerdotes Iouis erant, ut ibi ab illis interimerentur. quin inter eos nullus eſt inuentus, apud quem pluris ſalus q̃ religio haberetur, uſq; ad Ergenem regem, qui ne per ſacerdotes ei mors denunciaretur, omnes ipſos interemit primusq; morẽ illũ ſuſtulit.

M. Iullius Philippus

M. Iulius Philippus Imperator chryſtianorũ eo nomine primus, cum ob ſcelus patrate, in Gordianũ proditionis, ſacra communione a Fabiano pontifice eo uſq; prohiberetur, quouſq; in chriſtiana eccleſia crimen emẽdaſſet, humiliter pontifici paruit, nihilq; de Imperij maieſtate deperire arbitratus, ubi religionis habita ratio uideretur.

Egdarus

Egdarus Britannię Rex cum uirginem deperiret, quam in Vinceſtrenſi moneſterio uiderat educari, (quæ ut uirginitatem a regis iniuria tueretur, uelo unius ipſius moneſterij monacharum ſe texeret, neq; ob id ab iniuria Rex deſtitiſſet,) profectus ad eum Duriſtanus cantuarienſis Archiepiſcopus, ut ipſum reprẽhẽderet, porrigentem in congreſſu dexteram ſuam honoris gratia, regem a contactu repulit, tanq̃ propter inceſſum indignus, qui ſacerdotem contingeret, uideretur. Quam notam non ſolum patienter Egdarus tulit, uerum, errore agnito, in quem nimia libidine uictus inciderat, ad ſancti ſacerdotis pedes poſtratus, lachrymabundusq;, criminis ueniam petiit, & cum penę loco ei, ut geſtando diademate ſeptem annos abſtineret, & ſacris quoq; uirginibus moneſteriũ cẽderet, iniunctum eſſet, obedienter ea peregit.

Veremundus

Veremundus primus hiſpaniarum Rex, poſtq̃ duos ex uxore filios ſuſcepit, memor q; ante connubium diaconatus dignitatem accepiſſet, ne parum diuinas leges obſeruaſſe uideretur (adeo penes eum religionis reuerentia ualuit) conſobrino regno ceſſit, & monaſtico ordini ſe dicauit.

Ludouicus

Ob eandem religionem Ludouicus Caroli ſecundi Neapolitani Regis filius matrimonio, ſe atq; regno priuauit. Nam cum in morte Caroli primi filius eius Carolus ſecundus, cui ſucceſſio regni debebatur, in catelanorũ manu captiuus eſſet, Ludouicus pro patre obſes pactione inita datus, ſeptem annos in captiuitate manſit, quo tempore ob ęgritudinem ſe ad minoritas tranſiturum uouit. Tandem igitur liberatus moriente patre Robertum fratrem minorem regnare permiſit, & ipſe minoritarum religioni ſe dicauit, in qua ad Tholoſanum epiſcopatum aſſumptus eſt ſicuti Ioannes xxij. teſtatur, qui eum in numero ſanctorum retulit.

M. Attilius

Marci Attilij Rom. religionem, ſeruata a Guidone Flandrie Comite eiusq; filio fides ſuperauit, quia qui cogere poſſet non habebat ut regulus. nam carcere liberati a Philippo, (qui cognomento pulcher) erat Gallorum rege, data fide ſi Flandrie populos, qui rebellarant, & cum Britannis Philippum uexabant, ad officium reſtituere non poſſent, ad carcerem redituros quia de componendi rebus

dis rebus non ſucceſſerat, fidem carere repetito ſeruarunt, in quo intra breue tempus Guido deceſſit. Poſſem adhuc inſigniores libertatis actus & in regibus, & in priuatis annotatos fere infinitos referre ſed breuitati ſtudens, hoc pro exemplis uolui ſufficere. Nam ſunt qui non pro appetitu, quo natura omnes permanere deſideramus, ſed pro ratione appetitum ſuperante, ſe tormentis atq; morti expoſuerunt, ratione enim perſuadẽte libere nec minas, nec tormenta, nec mortes pertimeſcebant, non enim erat appetitus, qui eos compelleret, nec ſenſus, qui pollentius q̃ ratio appetitum moueret. Sed cum liberi eſſent, omnia libere ferre poterant. Libri primi finis.

EIVSDEM AVGVSTINI NIPHI MEDICIS *de uera uiuendi libertate liber Secundus.*

Procemium.

Dilucidauimus in priore libro quid eſt id, quod ueram uiuendi libertatem efficiat, & quid ſit uera uiuendi libertas, & quos homines deceat & ſi aliquando fuerint homines, quos decet uera uiuendi libertas, conſequens nunc eſt in hoc libro ſecundo Illuſtriſſima Victoria declarare finem, cuius gratia homines enitantur uera uiuendi libertate potiri, & utrum ultra huiuſmodi liberum uiuere ſit alius finis, uel ipſum ſit ultimus omnium, quæ agimus, finis inter philoſophos enim peripateticos, quorum doctrina certior eſt cęteris, non parua differentia eſt. Nam ſunt, qui liberum ipſum uiuere, finem conſtituunt.

Opinio eorum peripateticorum, qui dixerunt eorum, qui ſecundum uirtutes uera uiuendi libertate potiuntur, non eſſe alium finem pręter uerum ipſum liberum uiuere.

Quoniam uirtutes eſſe expetendas propter ſe Ariſtoteles demonſtrat, ideo euenit, ut quę potiſſima uirtus eſt, potiſſimum propter ſe expetatur. Maxima autem omnium uirtutum eſt prudentia, quę recta ratio omnium eorum eſt, quæ agimus, ac quæ acturi ſumus. Præterea omnium uirtutum mater, & origo eſt prudentia, non enim eſt aliquis liberalis, cuius in dando, atq; accipiendo prudentia appetitum non comprimat atq; moderetur. Non eſt fortis, cuius in audẽdo, atq; metuendo deſiderium prudentia non fieret, atq; cohibeat, non eſt iuſtus cuius appetitum in bonis diſtribuendis cõmutandisq; prudentia concupiſcentiam non compeſcat. Et ne te morer nulla uirtus eſt, quam prudentia non efficiat atq; gignat. Videtur igitur prudentia maxime propter ſe expetenda, cum maxima uirtutum ſit. Et cum uirtus tunc in potiore ſtatu habeatur, cũ in actu fuerit, (nam actus eſt ipſius habitus perfectio atq; finis) ſit ut uera uiuendi libertas, aut potius ipſum uere libere uiuere finis hominis ſit, quippe cum ipſum uere libe

re uiuere, aut actus prudentiæ ſit, aut cum actu prudentię compoſitus. Hanc opinionẽ *Seneca & in ea epiſtola, quam ad Lucillium ſcribit, cuius principium eſt. Longe mihi, & de conſolatione filij ſui ad* Martianum, *apertis rationibus probauit, aſſerens poſt mortem nullum eſſe uirtutum pręmium.* M. *etiam* Tullius, *qui aliquando de alia uita dubitauit, Semper omnia ſecundum uirtutem agenda eſſe arbitratur. Secundum hos ergo honeſtorum hominum, qui uitę uera libertate potiuntur, uirtus finis eſt ſtatuendus, hac enim homo homini præſtat, per hanc antiquitas* Reges Heroas *fecit, ac ipſos inter* Deos *annumerauit, quoniam nihil aliud exiſtimabat eſſe deum q̃ prodeſſe mortalibus. per hanc homo propria uita potitur, (nam per hanc libera uita finitur, quæ eſt homini propria,) & deo par efficitur.*

Refutatio.

V*Erum nec* Theologi, *nec philoſophi adprobarunt uirtutes eſſe propter ſe expetendas.* Euclides *enim philoſophus non obſcurus, qui fuit Megaricorum diſciplinæ conditor, id eſſe ſummum bonum aſſerit quod ſimile eſt, & idem ſemper, intellexit profecto, quę ſummi boni natura ſit, licet id non explicauerit. id eſt autem immortalitas.* Seneca *quoq; (licet non uideatur ſibi conſtans) dicit tandem, nullum aliud ab immortalitate eſſe uirtutis præmium. laudans enim uirtutem in eo libro, quem de immatura morte ſcribit, una inquit res eſt uirtus, quæ nobis immortalitatem donare poſſit, & pares dijs facere.* Stoici *quoq; uirtutum pręmium eſſe beatam uitam dixerunt.* Præterea *ſi uirtus propter ſe expetenda eſſet, uideretur eſſe ſummum bonum, & quidem homini tale, quo melius eſſe non poſſet.* At *uirtutem non eſſe ſummum bonum probat uis, eiusq; natura, quæ in malorum perferentia poſita eſt.* Inſuper *quomodo poterit eſſe per ſe expetendum id, cuius uis atq; natura (ut* Seneca *inquit) in aduerſis collocata eſt.* Quis *enim exilia, carceres, uulnera, paupertatem per ſe expeteret, in quibus pręcipua uirtutum natura firmatur? eſt enim uirtus ęgeſtatem, exilium, dolorem, mortemq;, quæ timentur a cæteris, pati fortiter, ac ſubire.* Nimirum *igitur (ut inquit* Pamphylus*) ſuperuacuis, & inanibus penis delectantur, quibus licet agere tranquille, ſi enim mortales ſunt animę, ſi uirtus diſſoluto corpore, nihil futura eſt, quid fugimus attributa nobis bona.* Sanus, *ut inquit, non eſt, qui nulla ſpe maiore propoſita, his bonis, quibus cæteri utuntur in terra, labores, & cruciatus, & miſerias anteponat.* Quare *ſi ad uirtutem conſtat natum hominem, ſubeſſe debet ſpes aliqua maior, quæ malorum, & laborum, quos pręferre uirtutis eſt, magnũ afferat, pręclarũq; ſolatiũ.* Ex *ijs itaq; protritũ eſſe uidetur uirtutẽ nõ eſſe expetẽdã propter ſe, quia uidelicet ipſa ſit maxime bonũ, ſed gratia maioris boni.*

Opinio eorum, qui dixerunt præmium eorum qui ſecundum uirtutem uera uiuendi libertate utuntur, eſſe honorem, atq; perennem gloriam.

Cum

CVm probatum ſit uirtutem non eſſe propter ſe expetendam, ſed gratia maioris boni, fit, ut hi, qui uera uiuendi libertate utuntur, non propter uirtutem tantum, ſed maioris boni gratia id agant. Huiuſmodi autem maius bonum, peripatetici nonnulli honorem, & gloriam eſſe affirmant. Quod ex eo probarunt, quia Ariſtoteles Peripateticę ſectæ magiſter in quarto ethicorum libro, apertiſſime tradit honorem eſſe uirtutis præmium. Accedit ꝙ perennis gloria, atq; honeſtus honor nullo unquā tempore, ut Homerus inquit, aboleantur, gloriam enim eſſe expetendam plures philoſophorum ſentiunt, ueluti quę uirtutis, laborum, periculorum, merces quędam eſſe uideatur. Hinc Ariſto. principem, cui non ſatis eſt præmij honor, & gloria tyrannum fieri probat. Iſocrates ad Nicoclem Cypriorum regem, pluris faciendum eſt bonam gloriam inquit, q̄ diuitias filijs relinquere, hæc enim mortales, illa immortalis. Et diuitiæ gloria acquiri poſſunt, gloria autem diuitijs non acquiritur. Ac hæ etiam a malis, gloria uero a uirtute præditis ſolum poſſidetur.

Refutatio.

SEd admiratione huiusmodi opinio non caret, nam uiuere ſecundum uirtutem in noſtra poteſtate eſt, & aliquid in noſtra anima manens, at honores exibere honeſtis ac fortibus uiris, in poteſtate eſt eorum, qui eos exibent, nemo enim dubitat in poteſtate honorantis eſſe, ut honoret, uel non honoret, niſi eſſet, ut Cæſar qui a Romanis ad triumphum uoluit, non eſt autem in arbitrio eius, qui honoratur, honorari uel non honorari. Non uidetur igitur uirtus expetenda a nobis propter id, quod habere non poſſumus pro noſtro arbitrio. Præterea ſi uideretur ſummum bonum honor, aliquo nolente honores exibere nobis, contingeret nos non eſſe felices. immo fieri nunc felices, nunc nō felices. Propterea multi philoſophorum gloriam & honorem non eſſe per ſe expetendā tradunt. Vnde Demetrius phalereus cum audiſſet ſtatuas, quę ei ab Athenienſibus erectæ fuerant, ob inuidiam diſiectas eſſe, ridens inquit, ſtatuas quidem inuidi euertere potuerunt, uirtutes autem & præclara geſta, quarum præmio imagines illę extiterāt, nequaq̄ abolere potuerunt. Poſtremo, honor eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimonium uirtutis, aut excellentiæ, quare maior eſt uirtus, in cuius teſtimonium honorem quærimus, q̄ honor ipſe quem, ut uirtutis teſtem deſideramus. Non igitur eorum, qui uera uiuendi libertate fruuntur, honor merces eſt.

Opinio eorum qui dixerunt id, cuius gratia nitimur uera libertate uitæ potiri, eſſe conſcientiam ac memoriam recte factorum.

SVnt qui eorum, qui uera uiuendi libertate potiri enituntur, nec non & omnium uirtutum præmium recte factorum conſcientiā ac memoriam eſſe aſſerant. Hanc

ſapienti uiro ſat eſſe p'ures philoſophi putauerunt, qui gloriam, & honorem non eſſe expetendum tradunt. Huc ſpectat illa Bruti ſententia, qui ad Ciceronem ſcribens, quid enim igitur inquit eſt melius, q̃ conſcientia recte factorum, & libertate uitæ contentũ negligere humana, quod enim maius, aut honeſtius præmium? quam gloriam maiorem a mortalibus ferre poſſumus? q̃ ſcire nos recte egiſſe, quæ laurea, quis triumphus clarior eſſe poteſt? nec profecto maledicum, nec obtractatorem formidat, qui ſuæ uirtutis eſt conſcius.

Refutatio.

SEd id, quod iſti dicunt, pace tantorum uirorum dixerim, friuolum uidetur. Primo quidem, quoniam multi arbitrantur, & dubio procul credunt ſe uiuere ſecundum uirtutes, qui tamen re uera non uiuunt. Quare hi, qui ſic crederent felicitate potirentur ęque ac ij qui re uera ſecundum uirtutes uiuunt, utriq; enim gauderent memoria, atq; conſcientia recte factorum. deinde ſi memoria atq; recte factorum conſcia eſſet illud bonum propter quod expetitur uirtus ipſa, delectabilius, atq; iucundius eſſet recordari, atq; ſcire recte feciſſe, q̃ recte facere. Quod eſſe falſum declarat experientia, longe enim iucundius mihi uideretur illuſtriſſima Victoria harmonicas meę Selenę uoces, ſuauesq; modulationes, audire, diuinum, ac amabiliſſimum aſpectum roſeosq; genarum colores cernere, carnes leniſſimas tangere, corallina labella ſugere, ſucci plenam linguam degu ſtare, ſuauiſſimum odorem, qui ab ore ſpirat, obſacere, q̃ hæc meminiſſe. Nec ab ratione quidem, nam, ut rerum naturalium rimator ſcribit octauo ethicorum libro, uoluptas ex adeptione conuenientis obiecti proficiſcatur, ſub ratione qua, ut conueniens apræhen d.tur, nihil autem eſt in humanis nobis conuenientius uirtute, ac uirtutis operatione. uir enim probus nihil uirtute melius eſſe putat. Non ergo poteſt memoria atq; ſcientia recte factorum uirtute, atq; officioſa uirtutis operatione iucundior eſſe. At finis ſemper & melior, & iucundior eſt eis, quæ ſunt ad finem, quare non uidetur uirtus propter memoriam, atq; conſeram recte factorum eſſe expetendam. Alioquin melius, atq; iucun dius propter peius, & inſuauius expetendm eſſet.

Selena

Opinio eorum qui diuitias cum potentia coniunctas dicunt eſſe id magis bonum, cuius gratia homines in uera libertate ſecundum uirtutes uiuunt.

QVoniam qui in uera libertate uiuunt, ſecundum uirtutes uiuunt, uirtutes autem ut fortitudo, & prudentia, diuitias, & potentiam atq; ſceptrum in nobis efficiunt, atq; gignunt, ideo illud magis bonum cuius gratia nos ſecundum uirtutes in uera libertate uiuimus, nonnulli diuitias cum potentia coniunctas eſſe affirmant. Potiſ-

ſimum

ſinum ex eo quia felicitas,ut Boetius uir doctiſſimus definit, libro de conſolatione philoſophicæ tertio, eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, talem autem ſtatum diuitiæ cum potentia efficiunt,quippe cum nummum quinto ethicorum libro Ariſto.Inuentum eſſe dicat,ut fideiuſſor nobis ſit habendi quodamq; uoluerimus.Quare diuitię cum potentia felicitas cenſentur , felicitas autem magis bonum eſt ijs uidelicet bonis,quæ ordinantur in ipſam, icirco finis eſſe uidentur eorum,qui ſecundum uirtutem in uera libertate uiuunt. Poſtremo diuitię cum potentia coniunctæ ſummę appetibiles ſunt,quippe cum in infinitum,ut Ariſto.Primo politicorum libro probauit,appetantur. Ergo longe magis diuitiæ cum potentia ipſa coniunctę ſunt appetibiles q̃ libera uita, quæ eſt ſecundum uirtutes. & ita finis eorum cenſende ſunt,qui ſecundum uirtutes uera libertate potiuntur.

Refutatio.

SEd non erit difficile huiuſmodi errorem ab humanis mentibus extirpare,ſi rationibus ſit adherendum,primo enim dicant.quo nam pacto in externis bonis felicitas, atq; ſummum bonum haberi poteſt? felices enim non erimus niſi felicitas nobis inerit, atq; proprium noſtrum ſit bonum;alioquin nemo fœlix perſe eſſet. Vnde Seneca uir doctiſſimus ea epiſtola, quę incipit ad Lucilium in merito omnia mea mecum ſunt, inquit. Et ea quæ incipit,tu me inquis, non eſt tuum ait quod fortuna fecit tuum,dare bonum quod potuit,auferre poteſt. deinde externa bona aliquando,uiolentijs atq; rapinis,nonnunq̃ inſidijs nanciſcimur, quãdo autem a progenitoribus atq; parentibus derelinquuntur,hęredibus,qui ſuccedunt,interdum non bonum,ſed malum operantur.Quæ procul profecto a felicitate ipſa atq; ſummo bono eſſe uidentur. Adhuc felicitas eorum bonorum,quæ humana ſunt (quemadmodũ Ariſto.ethicorũ primo inquit)optimum eſt, & ſummum. Externa bona neq; optima ſunt neq; perſe bona,tum quia ipſis poſſumus male uti, tum etiam quia plerunq; qui flagitioſiſſimi ſunt,eis, exuberant. Adde qui externa bona magno labore acquiruntur,maiore metu cuſtodiuntur,maximo dolore relinquuntur quę optimo atq; ſummo bono non inſunt. Præterea bonum quod eſt aliorum finis claudit appetitum ipſum. At diuitiæ quo plures poſſidentur,eo magis appetitum augent. quippe cum diuitiarum appetitus infinitus ſit,niſi ſuperiore uirtute reprimatur, in qua maius bonum eſt. Poſtremo bonum in quo felicitas reſidet, non facile a nobis tollitur. At diuitiæ etiam potentię coniunctę facillime auferuntur.Vnde Seneca ad Lucillium ea epiſtola quæ incipit,Claranum,omnia enim iſta,inquit,in quæ dominum caſus exercet,ſeruilia ſunt,pecunia & corpus,& honores imbecilla,fluida,mortalia,poſſeſſionis incertę. Quibus perſpicuum diuitias nec perſe, nec cum potentia coniunctas eſſe id maius bonum,quod honeſti homines,quę ſecundum uirtutem in uera libertate uiuunt,appetunt.

Eorum opinio, qui aſſerunt maius illud bonum eſſe uoluptatem, cuius gratia in uera libertate uiu.mus ſecundum uirtutes.

ALij uoluptatem illud maius bonum eſſe cenſent, cuius gratia nos ſecundum uirtutes in uera libertate uiuimus, ex eo, quia niſi iuſtis operationibus, temperatisq́; uoluptas adderetur, nequaq̃ expetibiles eſſent. niſi enim in malorum perferentia, in qua præcipua uirtutum natura firmatur, uoluptas quædam adeſſet, nequaquam qui in libertate uera ſunt, ſecundum uirtutes uiuerent. fortis enim in pugna uulnera patitur, & quidem doloroſa, non tamen abſq; uoluptate. Quatenus enim eſt in aſſequendo fortitudinis bono & in euitando metu, qui eſt fortitudinis malum, delectatur. Quatenus uero uulnera dolorifica ſunt, dolet, quare niſi uulneribus uoluptas quędam adeſſet, nequaq̃ ea pateretur uir fortis. uidentur igitur uirtutes expetendę propter uoluptatem, non quidem propter uoluptatẽ omnem, ſed propter eam, quę honeſtã operationẽ comitatur.

De uoluptate quædam breuiter.

QVid uero ſit uoluptas, Ariſto. Philoſophorum princeps libro ethicorum decimo, dilucide tradit. Nos uero ea duntaxat breuibus attingemus, quibus noſtro propoſito opus fuerit. Dicamus igitur uoluptatem eſſe quietem ſiue permanſionem in re ipſa delectante, qua quis per operationem potitur. hoc autem ex eo perſpicuum uidetur, quia operationem uerbi cauſa ſenſum perficit ipſum ſenſibile, & ipſa uis ſentiendi, & ipſa quoq; delectatio. uis quidem ſentiendi, non quidem omnis, ſed quę bene fuerit affecta. nec ſenſibile omne, ſed quod uirtuti ſentiendi conueniens idoneum atq; ualde accommodatum fuerit, uerum non eodem modo, hæc quę diximus ſenſum ipſum hoc eſt operationem ſenſualem perficiunt. nam delectatio ſenſationem ipſam perficit per modum formæ, eſt enim operationis forma ueluti color parietis. non enim ſicuti habitus, qui intrinſecus ineſt delectatio operationi ineſt, ſed ueluti ſuperaddita quędam perfectio, ceu pulchritudo Selenę cęterisq; iuuenculis in eſſe uidetur, non enim Selenæ cæterisq; puellis ineſt, ac ſi de earum eſſentia, ut ita dixerim, ſit, ſed quaſi bonam cauſarum, quę inuentam efficiunt, diſpoſitionem ſequens. Senſibile autem ipſum conueniens ſenſationem perficit uelut agens, primumq; monens, quod a nullo monetur. Sentiendi uero uis bene affecta, ut mouens mota: quæ uidelicet ab ſuo conuenienti ſenſili mouetur. recte igitur diximus uoluptatem eſſe quietem, permanſionemq́; quandam, in re delectante, qua per operationem potimur.

Rufatio opinionis ſupradictę de uoluptate ex his, quæ nunc dicta ſunt.

EX ijs, quæ nunc pertritiſſima ſunt, perſpicuum eſt honeſtos homines in uera uiuendi libertate: quæ eſt ſecundum uirtutes, non uiuere propter uoluptatem,

licet non ſit libera uita quę eſt ſecundum uirtutes abſq; uoluptate, neq; honeſta uoluptas abſq; libera uita, quæ eſt ſecundum uirtutes. non enim quietem in aliquo appetit, quo exiſtimat illud ſibi conuenire, operatio enim quæ delectat, quemadmodum conueniens quoddam per prius appetibilis uidentur, q̄ delectatio, quæ ei extrinſecus aduenit. Argumentemur igitur, illud per ſe expetendum, quod per prius expetitur. Sed operatio ſtudioſa per prius q̄ uoluptas expetitur. ergo magis operatio ſtudioſa expetenda q̄ eius propria uoluptas. Ad hęc ſi ſtudioſe operationes fierent, propter uoluptatem, non fierent, quia fieri debent. Inſuper ſi propter uoluptatem honeſta agreremus, cum maior uoluptas ſit in aliquibus turpibus, longe magis illa eſſent agenda. Quod nemo ſane mentis probaret.

Opinio eorum, qui affirmant maius illud bonum eſſe rerum diuinarum contemplationem, cuius gratia ſecundum uirtutes in uera libertate uiuimus.

SVnt qui in ſcholis peripateticorum aſſerũt, illud maius bonum, cuius gratia nos in libertate uiuere nitimur, & quidem ſecundum uirtutes eſſe numinum, rerumq; diuinarum contemplationem. nec iniuria quidem uirtutum moralium uſus ad contemplationem diſponit. Animus enim ut Ariſto. inquit ſeptimo auſcultationis phyſicæ, prudẽs fit, & ſciens, ſedendo atq; quieſcendo Sedatis enim perturbationibus, perturbationumq; tumultibus propter uirtutum moralium exercitationem, animus afficitur ut libere attolli poſſit in numinum diuinarumq; rerum contemplationem, quod diuus Gregorius libro moralium ſexto ſcribit, qui contemplationis artem temere deſiderant, neceſſe eſt, ut prius in actionis campo ſe probent. Præterea melius, ſemper finis eſt eius, quod non eſt ita bonũ, ſemper enim finis ijs melior eſt, quę ad finem ſunt, at contemplatio potiſſimum numinum, atq; rerum diuinarum longe præſtabilior eſt libera ipſa uita, quę ſecundum officioſas operationes eſt. Si quidem hæc bona eſt, illa uero optima, quod Ariſtoteles efficaciſſimis rationibus libro ethicorum decimo probare enitur, primo quia numinum contemplatio optima eſt ex parte potentię, quę eſt mens optima quidem res omnium humanarum, & ex parte obiecti, quoniam inter ea, quæ apręhendere poſſumus, numina ipſa ſunt optima. deinde quoniam eſt maxime continua. nam contemplari magis continue q̄ agere poſſumus. Menti enim defatigatio non accidit, niſi propter imagines ſenſiles, quæ internos noſtros ſenſus defatigant. Ad hæc contemplatio iucundior eſt quibuſuis actionibus, etiam ſtudioſis, tum puritate, tum firmitate. Puritate quidem, quoniam circa puras, atq; omnino e materia abſolutas res uerſatur, nihil enim in natura purius, atq; a materia magis abſolutum eſt numine. firmitate uero, quia numina ſunt omnino immutabilia. At qui circa corporea, materialia, ac terrena uerſatur, uidetur admodũ impurus, quaſi ſe circa impura occupans. etiam uidetur mutabilis uoluptatis, quippe cum re ipſa mutata, aut deleta, quæ uoluptatem afferebat, uoluptas aboletur, quinimmo aliquando in

dolorem

dolorem uertitur. deinceps in contemplatione max'ma ſufficientia ineſſe uidetur. nam & prudens, & iuſtus, & cæteri, qui ſecundum uirtutes uiuunt, rebus ijs indigent, quæ neceſſariæ ſunt ad uitam. Iuſtus quidem eorum indiget, ad quos, & cum quibus egerit iuſte, & liberalis, & temperans, itemq; ac fortis, & cęteri id genus. At ſapiens ſi ſolus etiã ſit, contemplari poteſt, & quo ſapientior eſt, eo magis poteſt. melius autem fortaſſe ſi adiutores habeat, attamen ſufficientiſſimus ipſe eſt. Pręterea contemplatio propter ſe ipſam ſolam amari uidetur. nihi enim homini accreſcit ex contemplatione numinum pręter ipſorum numinum contẽplationem. at cum agimus ſecundum uirtutem, pręter ipſam actionem aut plus aliquid, aut minus aſſequimur, ut puta honorem, aut gloriam, aut gratiam, quas ſapiens ex ſua contemplatione non niſi ex accidente acquirit, quo uidelicet numinum contemplationem alijs enuntiauerit, quod quidem ad externam actionem attinere uidetur. Deinde Ariſto. eodem ethicorum decimo demonſtrat quomodo ciuile bonũ, quod per uirtutes acquiritur, in bonum, quod in contemplatione eſt, ut infinem ordinetur: per quod perſpicuum nobis facit ciuiles uirtutes expetendas eſſe propter huiuſmodi contemplabile bonum, & aſſumit nullum uirtute pręditum agere ſecundum uirtutem, nihil ultra appetendo pręter actionem, quam agit. Quod in uiro forti perſpicuum primo, non enim uir fortis pugnat, nihil appetendo pręter actum pugnę. uideretur enim ſangui nolentus quidem, & occiſor, atq; homicida. bellum enim gerit, ut in pace degat. Ciuilis etiam uita negotioſa eſt, & pręter ipſam laborum adminiſtrationem opes, poteſtates, atq; honores, & felicitatem ſibi, & ciuibus comparat, quę quidem felicitas aliud quippiam eſt a uita ciuili. Hęc enim contemplatio eſt, ad quam uniuerſa ciuilis uita ut in finem ordinatur. per pacem enim & ocium, nec non & per alia bona, quæ ciuilis ſtatuit atq; ſeruat, ciuibus facultas offertur contemplandi numina. Argumentemur igitur ex ijs, quę eo loco tantus philoſophus declarauit, inter actiones moralium uirtutum pulchritudine excellunt, & magnitudine, quę ſunt ciuilium atq; bellicarum, pulchritudine quidem, cum ſint cæteris honorabiliores, magnitudine uero, quoniam ſunt circa potiſſimum bonum, quod eſt bonum omnibus commune. nam ciuiles uirtutes illud commune bonum ordinant, bellicę uero defendunt, ac tuentur, igitur cum huiuſmodi actiones non expectantur propter ſe, ſed gratia alterius finis, Actione cęterarum uirtutum moralium non erunt propter ſe expectibiles. Sed quoniam operatio mentis, quę contemplatio numinum eſt, propter ſe ipſam, & non ob alium finem expetitur, uidetur, ut ipſa ſit finis ciuilis uitæ, atq; moralium uirtutum omnium. potiſſimum quia propriam habet uoluptatem, a qua augetur. epilogando igitur dicamus ſi actiones moralium uirtutum expetuntur propter actiones ciuilium & bellicarum & ciuilium, atq; bellicarum propter contemplationem uidetur, ut uirtutes omnes propter contemplationem expetantur. Huic autem aſtipulantur regiones atq; urbes, in quibus pax, & cætera bona, quæ ſtudijs ſapientiæ ſunt neceſſaria, ſunt perpetua. in eis enim ſapientię ſtudia diu florent, ut olim Romę & Athenis: nunc uero in Gallia, Hiſpania, & in Germania, cęteriſq; ubi pax

& reliqua bona ſunt admodum perpetua. Apud nos uero ſapientię ſtudia delecta ſunt tum propter bella, tum quia nulla eſt regio, aut urbs in Italia, quam lationes, qui hodie militant, non diripuerint, atq; deuaſtauerint.

Difficultates, quę contingunt ſuper ea, quę dicta ſunt.

HAe ſunt opiniones de eo maiore bono, cuius gratia uirtutes expetuntur: in quibus nonnulla quidem perſpicua, nonnulla autem dubia, atq; obſcura ſunt, protritum enim eſt apud Ariſto. uitam quæ uere libera eſt, eſſe eam, quę ſecundum uirtutes eſt, potiſſimum ſecundum prudentiam quæ metrum cęterarum uirtutum eſt. Sicuti enim uita contemplatiua ſapientiæ attribuitur, quatenus primaria exiſtens cæteras contemplatiuas ſcientias cõprehendit, ita quoq; actiua atq; libera uita, quæ ſecundum uirtutes eſt, prudentię attribuenda eſt, quę metrum atq; menſura ac mater eſt omnium moralium uirtutum. Inſuper etiam perſpicuum eſt liberam uitam, quæ ſecundum uirtutes eſt, non eſſe expetendam propter ſe, quemadmodum nec uirtutes, ſed propter contemplationem numinum, in qua, uita contemplatiua principaliter reſidet. Sed quę numinum contemplatio ſit, huiuſmodi finis, non parua eſt ambiguitas. Deus enim quod numen eſt, bifariam intelligi poteſt, uno modo intellectione, quæ, ut ita dixerim, eſt ipſius Dei effectus quęq; a recentioribus cognitio a poſteriori dici ſolet, ab Aueroe autem diſcurſiua. Alio modo intellectione, quę eſt ipſemet Deus quam aueroes eſſentialē nuncupat, Theologi de facie ad faciem intellectione quę eſt ipſius dei effectus, tunc Deus intelligitur, cũ per compoſitionem intelligere, quę, ut uerbis iuniorum utar eſt conceptuum qualitatiuorum & quidditatiuorum, qui ex effectibus Dei colliguntur, collectio. Hęc enim cognitio Deus non eſt ſed Dei effectus, quandoquidem e rebus ipſis proficiſcitur, quę ab ipſo Deo productæ ſunt. Huiuſmodi tamen cognitio, ut utar uerbis Theologorum, nec intuitiua eſt, cum in ipſum Deum ſine medio non ſiſtat, nec abſtractiua, cum nõ in aliquod terminetur ſimulacrum quod ut ita dixerim ſit ipſius Dei repręſentatiuum. Et licet nos aliquando fuſo quodam uerbo hanc abſtractiuam appellauerimus, tamen Theologi eam nocturnam, ueſpertinam, atq; obſcuram uocant. Rectius tamen nocturnam dico; quippe cum per eam quaſi ſub luce nocturna per enigmata numina cognoſcamus. Intelligitur autem Deus cognitione, quę eſt ipſe Deus, quoties non per conceptum compoſitionem, nec per ſpeciem ſiue ſimilitudinem intelligitur, quę, ut ita dixerim, ab ipſo deo abſtrahitur ſed cum ipſum in ipſo ſine medio cognoſcamus eo modo, quo ipſe ſe ipſum intelligit, Deus enim cum ſeipſum intelligit, nec per ſpeciem, nec per actum intelligendi, nec per lumen, nec per aliud quoduis medium intelligit, loquor autem ut peripateticus, qui academia in diuinis ſubſtãtias penitus ſubſtulit. Hanc notitiam Theologi claram dicunt quia eſt ipſemet Deus, intuitiuam, quia ipſius Dei eſt in ipſo ſine medio. Matutinã quia lucida, Diurnam, quoniam luce ſolis maior. Quare cum duplex ſit numinis cognitio, du-

bium eſt, ſit ne nocturna liberæ uitæ finis, an diurna. Nocturna quidem non uidetur, ſic enim Metaphyſicus, ut ita loquar, ciuili philoſopho prçſtantior, cuius profecto contrarium Ariſto. ethicorum primo probauit. Vbi proponens ciuilem cęteris facultatibus, hęc enim inquit, & quas ſcientias in ciuitatibus eſſe, & quales quemq; diſcere, & quo usq; oportet, ipſa diſponit. Eas prçterea facultates, quæ ſummis afficiuntur honoribus, ut rei militaris, reiq; familiaris facultatem, ac oratoriam artem huic ſubeſſe uidemus. Prçterea Plato aſſerit ſe efficere potius uiros bonos, q̄ doctos, nam boni nunq̄ dijs, atq; prçceptoribus aduerſari inueniuntur, docti autem contra. At Metaphyſica facit homines doctos, & ciuilis bonos, quare hæc illi præferenda deinde ciuilis commune bonum administrat, Metaphyſica priuatum, non igitur Metaphiſica præferenda, ſed ciuilis. At ſi dixeris diurnam numinum contemplationem eſſe finem liberæ ac actiuç uitæ obijcemus. Aut hanc aſſequimur dum ſumus in humanis, aut poſt mortem, ſi dum in humanis degimus, cogemur aſſere, opinionem Aueroi ab omnibus reprobatam. Poſt mortem uero, exploratum non eſt ſecundum Ariſtotelem, uiuat ne anima, an cum corpore tabeſcat. Prçterea ſi numinū contemplatio finis eſſet liberç uitç, tunc quicunq; liberā ipſam uitam aſſecutus eſſet, mox contemplationem numinum eſſet aſſecutus, eo enim ipſo, quo media ſufficienter ad finem habentur, finis habetur. At conſtat multos uixiſſe in uera uitæ libertate, ut Romanos plurimos & Ariſtidum iuſtum, qui ad numinum cōtēplationem non peruenerunt. Vnde argumentabimur, ſi uita actiua ordinetur in contemplatiuam, ut in finem, eo ipſo, quo aliquis in actiua ipſa uita eſſet perfectus, in contemplatiua quoq; perfectus eſſet, omnibus enim medijs ad ſummum acquiſitis, neceſſe eſt finem ad ſummum haberi. Non uidetur autem contemplatio præmium eſſe liberç uitç cum non ſemper homini inſit, cui uera uiuendi libertas ineſt, non enim ei, qui ſecundum uirtutes uiuit, prçmium aſſignatur contemplatio. Cum quis uiuere poſſit ſecundum uirtutes, qui nunq̄ numinum contemplationem tanq̄ præmium aſſequetur.

De Duplici fœlicitate ſecundum quoſdam, deq; duplici bono.

THeologorum uero nonnulli doctiſſimi qui peripateticam doctrinam non ignorant, duplicem dicunt eſſe fœlicitatem duplex quoq; bonum alteram, quam nouo nomine præmiatoriam alteram uero, quam meritoriam uocant. Prçmiatoria quidem eſt, quç primo nullum mali genus admittit, nec culpæ, nec penæ deinde omnia bona complectitur, quibus homo ſuis meritis dignus eſt. Poſtremo cuiuslibet intellectualis deſiderij fruitionem, omneq; gaudium in ipſo fœlici coniungit. fœlicitas uero meritoria, licet omne culpç malum tollat, alioquin fœlix non eſſet omni ex parte bonus. Malum tamen penç admittit. quippe cum nullus ſit in humanis, qui pena omnino uacet. Inſuper tam & ſi meritoria ipſa fœlicitas quçdam bona admittat, quibus fœlix dignus eſt, bona tamen omnia, ne quaq̄ continet. Ad hęc, meritoria fœlicitas in ipſo fœlici non omne deſiderium

atq; gaudium complet. quippe cum nullus ſit in humanis qui aliquo deſiderio non præ=matur. Saltem eo, quod ſuę bonitatis eſt pręmium quibus pręſuppoſitis aſſerunt merito=riam fœlicitatem in hac pręſenti uita haberi poſſe, quod Ariſto. probaſſe tradunt, cum dixit ethicorum primo, id igitur quod quęritur, competit ipſi fœlici, & erit talis per ui=tam. Nam ſemper, aut maxime ea aget, & contemplabitur, quę prodeunt a uirtute. For tunamq; feret pulcherrime & omni ex parte concinne, ac ęquabiliter. quippe qui uere bonus atq; quadratus, eſt ſine uituperatione. Poſtea quibuſdam interpoſitis, ſin aduerſa inquit pręmunt, leduntq; uitam beatam, afferunt enim dolores, & multas operationes impediunt. Attamen & in ijs ipſis perlucet ipſa honeſtas, cum multas quiſpiam, ac ma gnas aduerſitates faale perfert: non ob indolentiam rectius, ſed quia generoſus eſt atq; magnanimus. Dicit deinde quod ſi operationes dominę ſint, ut diximus, uitę, nemo bea tus fiet miſer, nunq̃ enim odioſum quicquam, atq; improbum aget, eum enim qui uere bonus eſt, atq; prudens fortunam omnem decore perferre, pro facultateq; rerum ſemper res pulcherrimas agere, ut & ducem bonum præſentibus uti caſtris ad optime gerẽdum bellum, & bonum item ſutorem ex ſibi datis pellibus pulcherrimum conficere calceum, cæteroſq; omnes identidem artifices arbitramur que cum ita ſint, Miſer quidem nunq̃ fiet ipſe fœlix. Quare meritorium uidetur Ariſto. deſcripſiſſe libro ethicorum primo. Cum fœlicitatem dixit eſſe operationem ſecundum uirtutem perfectam, in uita perfecta, intel=ligens, ut diximus, per uirtutem perfectam, prudentiam ipſam, quę complectitur uirtutes omnes. huic quoq; multa attribuit, ut eſſe optimum, atq; iucundiſſimum, pulcherrimumq; quippiam, in hominis poteſtate conſtitutum. Hanc inſuper fortune non eſſe ſubiectã ſed magis ſibi ſubijcere fortunam tradit, quatenus qui prudens eſt & fœlix omnia aduerſa profert. Quod ſi Ariſto. aliquando aſſerat ſine corporis, atq; fortunę bonis nullum fœli cem eſſe, hoc dicit quoad uulgarium opinionem, qui fœlicitatem ſine his deformem eſſe exiſtimant, aut dicit hoc, nõ quia externa bona ſint fœlicitatis partes, ſed ſplendor, emicat enim fœlicitas in his, ſicuti precioſus ipſe lapis in auro. De pręmiatoria uero quid ſentiẽ dum ſit, non eſt ſatis exploratum. Id tamen perſpicuum primo fœlicitatem pręmiatoriã, in hac uita haberi non poſſe. quippe cum nullus ſit in humanis extra omne penę malũ. Nec qui maxime merentur, bona omnia habent quibus digni ſunt. quinimmo uitam ali quando in doloribus triſticijsq; finiunt, pręeligentes longe magis bene mori, q̃ indecore uiuere. deinde dicunt de huiuſmodi nihil Ariſto. penitus tradidiſſe. Ex eo quia poſt mortem nihil hominis remanere Ariſto. arbitratum eſſe probant. Primo quia Ariſto. in libris de anima nos nihil poſt mortem reminiſci affirmat, deinde ethicorum primo dicit fœlicitatem, qua quis potitus eſt in uita, poſt mortem ſolum in hominum memorijs rema nere, ſicuti iniuſta & mala, quę in tragędijs, uel hiſtorijs recitantur. Præterea ait nihil ad mortuos de uiuentium operibus pertinere niſi fragile admodum atq; paruum. Quod non uideretur, ſi mortui quippiam eſſent in re, præ er uiuentium memorias. Inſuper libro ethicorum tertio aſſerit mortuis nihil ineſſe, neq; boni, neq; mali. Quare præmiatoriam

 huiuſmodi

huiuſmodi fœlicitatem ſolum Theologicam eſſe uolunt, quod non niſi a ſanctiſſimis uiris tradita ſit, & dilucidata.

Quid ſentiendum de fœlicitatibus paulo ante narratis.

SEd de his fœlicitatibus nonnulla ſunt repetenda. Et primo uidetur mihi eſſe probandum, non eſſe meritoriam fœlicitatem ſecundum Ariſto. Si præmiatoria non fuerit, quoniam ſi nullum ſit premium, nullus erit, qui mereatur pęmium, ſunt enim meritum & pręmium ad aliquid. Deinde cum dicunt Ariſto. nullam pręter meritoriam fœlicitatē tradidiſſe, non recte ſentiunt, nam ethicorum decimo duas affirmat, quarum alteram humanam ꝙ ſit hominis, qui ex anima conſtat & corpore. Alteram ſeparatam ſiue diuinam uocat, ꝙ ſit mentis: quæ diuina atqꝫ ſeparata res eſt. Harum uero duarum alteram diuinam. ſ. non præmium ſed finem humanæ fœlicitatis uocat. Quod quidem non ſit pręmium, ex eo perſpicuum, quia fieri poteſt, ut aliquis humanam aſſequatur, non autem diuinam. Pręmium autem id eſt quod mox confertur, cum quis meruerit. Præterea ſi diuina humanæ pręmium eſſet, eo ipſo, quo quis in humana perfectus eſſet, in diuina eſſet perfectus. At uidemus plurimos in uirtutibus uiuere, atqꝫ mori, qui nunq̄ alia fœlicitate fruuntur. Quod uero ſit finis, Ariſto. ut diximus, multis argumentis probauit. Quæ cū ſuperius diligenter retulerimus, nunc illud ſatis eſt nobis dicere, diuinam fœlicitatem eſſe humanæ finem, quia ſemper melius finis eſt eius, quod non eſt ita bonum. Verum qualis contemplatio numinum finis ſit, utrum nocturna, quæ de numinibus per effectus eorū habetur, an diurna, quę eorū eſt, notitia clara, & intuitiua, nō eſt explorata. Primam quidē eſſe finem humanę fœlicitatis, nemo dubitare debet, qui peripateticā doctrinam percallet. quippe cum rerum diuinarum cognitio etiam nocturna, atqꝫ obſcura res pręcioſiſſima ſit, tantoqꝫ humanis actionibus pręcioſior, quanto res diuinę humanis ſunt præſtabiliores, quod Ariſto. De partibus animalium primo ita dicit, Res nanqꝫ illas ſuperiores, tametſi leuiter attingere poſſimus, tamen ob eius cognoſcendi generis excellentiam amplius oblectamur, q̄ cum hęc iuncta omnia tenemus, quemadmodū quālibet partem, mini namq; corporis noſtrarum puellæ delitiarum uidiſſe gratius, ac iucundius eſt, q̄ cęterorum hominum membra tota perſpexiſſe, & contractaſſe. Pręterea proęmio primæ philoſophię, ſed ut dicimus inquit homo liber, qui ſumiet, & non alterius cauſa eſt, ſic & hæc ſola libera eſt, quippe quæ ſui gratia ſola eſt. Quare actiones omnes cęterarum facultatum, atqꝫ habituum, huius gratia erunt. cum uero dicebatur contra hoc, finem mox eſſe, quum omnia media fuerit, quę ad finem ſunt. Dicemus illud uerum eſſe in naturalibus, non autem in uoluntarijs, nam licet omnia, quæ pro domo conſtruēda ordinantur, parata prontaqꝫ fuerint, tamen non propter ea erit domus. quippe cum domus non natura ea ſequatur, ſed pro opificis uoluntati. Cauſa autem, quoniam media in finem bifariam ſunt, quædam ſine quibus finis eſſe non poteſt, & hoc pacto præpa-

rationes

rationes domus, media ſunt in domu n conſtruendam. non enim poteſt domus conſtrui, niſi omnes præparationes præfuerint, quibus ad domum ſtruendam opus eſt, quædam, quibus finis eſt: et hoc pacto in naturalibus media ſe habent reſpectu finis. medijs enim omnibus in ipſa materia præſentibus, motus ceſſat, & finis adeſt, diuinorum igitur illa obſcura, ac noturna cōtemplatio: quam Ariſto. nunc diuinam ſcientiam nunc ſapientiam, nunc primam philoſophiam uocat finis eſt humanæ fœlicitatis, non eo quia humana fœlicitas ſit medium quo, ſed magis, quoniam eſt medium ſine quo. propter ea eſſe poteſt, ut quis perfectus ſit ac fœlix in omni humana uita, qui nunq̄ ad huiuſmodi finem dum in humanis fuerit, perueniet. Nec Ariſto. ethicorum primo ciuilem huic diuinæ ſcientiæ preposuit, ſed quo ad uſum, ordinat enim ciuilis ut aliqui doceant, uel diſcant geometriā. huiuſmodi enim actus, quo uoluntarij ſunt, ad ciuilem attinent, qui eos ordinat ad finem humanæ uitæ. non autem præcipit diuino philoſopho aut geometriæ, quæ docere debet non enim ſubiacent humanæ uoluntati, ſed pendent ex ipſa rerum ratione. Quod uero Plato dicit, uerum eſt, comparando doctrinam & uirtutem in idea. tamen ſapientia in nullo eſſe poteſt perfecta, quin in eo ſit uita ſecundum uirtutes perfecta. niſi enim anima ſedeat, atq; quieſcat, nequaq̄ prudens ac ſapiens, ut inquit Ariſto. eſſe perfectæ poterit. Nam qui contemplationis arcem tenere deſiderant, neceſſe eſt, ut prius in actionis campo, ut Gregorius inquit, ſe probent. Inſuper licet ciuilis commune bonum preconcipiat, minimum uero contemplator, quiá; ſapiens dicitur, priuatum: quia tamen illud commune bonum ad priuatum, ut in finem ordinatur, ideo priuatum illud & communi bono, & ſapiens etiam ciuili preferendus eſt. Vtrum uero Ariſto. præmiatoriam fœlicitatem obſcœrit, quia ſcio te hoc a me expectare. Ideo dico Ariſto. nullibi poſuiſſe aſſertiue beatitudinem, fœlicitatemq́; præterq̄ in præſenti uita, nec aliam expreſſe negaſſe, nec de ea perſcrutari attinent. ad ipſum, qui ſolum de eis pertractat, de quibus ueritas inquiri poteſt per humanitus inuenta. Conſtat autem de præmiatoria ipſa fœlicitate nos loqui non poſſe niſi per ea, quæ nobis diuinitus ſunt reuelata. Plato autem qui Ariſto. Doctor fuit, in gorgia aſſertiue tradit felicitatem quę poſt mortem euenit nobis eſſe uirtutibus premium, uitijs autem pœnam perpetuam, quod etiam in Phędone & libro de legibus decimo, ubi puniendos eſſe aſſerit, qui contrarium dicunt. cauſa autem quia Plato ex fide maiorum philoſophatur, Ariſto. autem ex memorijs ſenſibus, atq; experientijs. Et quoniam nihil eſt in ſenſibus, ex quo ducamur in cognitionem pręmiatoriæ fœlicitatis, ideo Ariſto. nihil aſſertiue de ea tradere potuit. Sed utrum eam obſcœrit aliquo pacto dubium eſt non paruum. uidetur tamē mihi eum huiuſmodi fœlicitatem & obſcaſſe, & quibuſdam uerbis indicaſſe, nam ethicorum primo ijs, qui deceſſerunt, amicorum operationes bonas conferre dicit. Quid autem conferunt nullam poſt mortem homines fœlicitatem haberent? deinde ea non ſit mortuis conferre dicit, ut non fœlices, fœlicis, uel fœlices non fœlices fuerant, ecce mortuos ponit in ſtatu fœlicitatis & miſerię. Inſuper Ariſto. libro de animalibus ſecundo, mouit quęſtiones duas quarum prima eſt

ueniat ne extrinſecus anima, an intus naſcatur & ſoluit eam non eſſe in ſemine traductam ſed extrinſecus uenire, per quod ſignificauit animam non eſſe genitam, ueluti cæteræ naturalis formæ generantur, quæ deducuntur de materiæ ipſius potentia. Sed eſſe creatam, atq; in corpore humano extrinſecus inductam. ſecunda uero quæſtio eſt maneat ne anima poſt mortem, an cum corpore tabeſcat, & reſpondens aperte fatetur eã cum corpore non tabeſcere, ſed poſt mortem remanere, hæc autem ita eſſe aſſerenda eo libro probauimus, quem de immortalitate animæ ſcripſimus. Si igitur ita fuerit, oportet fateri animam poſt mortem, ſi non fuerit ocioſa, habere aliquam operationem, ergo ſuſpicandum eſt ſecundum ea, quæ Ariſto. ſcripſit poſt mortem eſſe in illis, qui bene uixerunt, perennem fœlicitatem præmium uirtutum, in iis uero, qui male, miſeriam perpetuam eſſe malorum penam. Poſſumus etiam hoc idem ex aliis philoſophi uerbis coniectare, ſeptimo enim politicorum libro poetis autoribus eos in beatorum inſulis gaudere dicit qui philoſophia, tẽperantia, & iuſtitia in uita uſi fuerint. Vbi optimus expoſitor Thomas, beatorum inſulas expoſit in quibus animæ eorum collocantur qui in uita bene egerunt, fœliciterq; uſq; ad mortem perſeuerarunt. Et Oeconomicorũ libro ſecundo de Alceſte, & Penelope dicit, factas in malis fideles ſibi gloriam immortalem præparaſſe, iuſteq; a uiris eſſe honoratas, nec ad iis eſſe immeritas, atq; irremuneratas, in quibus uerbis, non modo coniectandum, uerum etiam aſſerendum eſſe uidetur Ariſtotelem fœlicitatem, quæ poſt mortem nobis aduenit, conferri ad iis, ut uirtutum præmium iis, qui ſecundum in uera uiuendi libertate uixerunt. quæ uero ſuperius adducta ſunt in contrarium, in libro de animæ in mortalitate diluimus.

Quod philoſophus Ariſtoteles in primis ethicorum libris præmiatoriam fœlicitatem non poſuerit.

QVod philoſophus Ariſto. In primis ethicorum libris præmiatorias fœlicitatem non poſuerit, Thomas dilucidus eius interpres ex eo factum eſſe oſtendit, ꝗ in illis libris de ſummo hominis bono locutus non fuerit ſecundum omnem ſtatum. nam cum fœlicitatem libro ethicorum primo deſcripſiſſet, ſi autem ita beatos dicimus inquit, beatos dicimus, ut homines. & doctiſſimus Thomas exponit, ut homines, qui in præſenti uita mutabilitati ſubiiciuntur. Quod uero bene expoſuerit, Ariſto. libro ethicorum decimo, cum loqueretur de hac humana fœlicitate, dicit, cum autem hę ſeſe ſic habeant, ut a ſe mutuo pendeant ſintq; coniunctæ affectibus, circa ipſum compoſitum fuerint at compoſiti uirtutes humanę ſunt, quare & ea uita, quę ab ipſis proficiſcitur, & fœlicitas humana eſt. Mentis autem, eſt ſeperata. hæc Ariſto. Vbi aperte aſſerit fœlicitatem, quę eſt ſecundum uirtutes eſſe humanam, quia hominis, qui componitur ex anima, & corpore, fœlicitatem autem quæ eſt mentis, eſſe ſeparatam, atq; diuinam, & quia in primi libris, Ariſto. de ea fœlicitate loquitur, quę eſt uita ſecundum uirtutes, ſit ut, de ea fœlicitate loquatur

quatur, quæ hominis eſt ſecundum præſentem ſtatum. Qua ratione fit,ut, homo biſariam conſiderari poſſit aut ſimpliciter,uidelicet non reſtrictus ſtatui pręſentis uitæ, & ſic ſummum hominis bonum id eſt, quod ei ineſt,quo mens eſt.quod enim ſummum bonum principalioris parti: alicuius compoſiti eſt, ſummum bonum totius ſimpliciter eſſe uidetur. Alio modo homo conſiderari poteſt ut præſentis uitę ſtatui aſtringitur, quatenus uidelicet uiu t ut animal ciuile rationale.& hoc pacto hominis bonum eſt animę & corporis bonum.& quia animę atq; corporis bonum eſt uiuere ſecundum uirtutes in uera uiuendi libertate, ſiquidem qui ſecundum uirtutes in uera libertate uiuit, pro ratione iubente & appetitu obediente uiuit. fit,ut in primis ethicorum libri Ariſto.de huiuſmodi bono locutus ſit,quod homini competit non ſimpliciter, ſed pręſenti ſtatui reſtricto? Ex ijs non erit obſcurum Ariſto.in primis ethicorum libris fœlicitatem pręmiatoriam nō poſuiſſe.Quoniam ab homine pręſenti uitę aſtricto uirtu , ſolum propter ſe expetenda eſt.quippe cum homo ad pręſentem uitam contractus ad bene beateq; uiuendum , ut in finem ordinetur,bene autem uiuere, ut diximus , eſt quum homo ſecundum u rtutes in uera libertate uiuit. uiuit autem ſecundum uirtutem in uera libertate,cum mens cuius habitus prudētia fuerit,imperat,appetitus autē cuius obedientia in habitū peruenit,obedit.

Quod philoſophus Ariſto.in ultimis libris ethicorum cogatur ponere uirtutes eſſe propter aliud expetendas.

QVoniam homo contractus ad pręſentem uitam ut Ariſto.decimo ethicorum libro tradit,in hominem ſimpliciter ordinatur,qui eſt mens,uel ſecundum mentē uiuēs fit ut uita ſecundū uirtutes,expetēda ſit propter immortalitatē,qua homo ſimpliciter uiuit. hoc autē ita eſſe Ariſto.ethicorū primo oſtendit,cum dicit,ſi quidem igitur & al ud aliquod deorum eſt donum hominibus , manifeſtum eſt fœlicitatem Dei donum eſſe,& maxime humanorum optimum. Sed hoc quidem forte alterius erit utiq; perſcrutationis magis propriū.hęc ipſe,ubi duplex hominis bonū apparet,& utrūq; Dei donum.& quoni :m alterum eorum eſt bonum, alterum uero optimum, & ſemper minus bonum eſt gratia melioris,fit,ut uita quę eſt ſecundum uirtutes,ſit eius boni gratia quod hominis eſt ſecundum mentem,quod immortalitas eſſe uidetur. Quod alio principio diluc idemus,nam Ariſto.ethicorum ſeptimo in homine duo contraria aſſignat ualde extrema, diuinitatem uidelicet, quam Heroicam uirtutem ipſe, Plato autem ſanctitatem appellat. & immanitatem,quę a Platone prophanitas ab ipſo quoq; feritas dicitur.Cū enim in homine appetitus corrumpitur uſq; ad belluarum ſimilitudinem , Tunc homo prophanus fit,atq; immanis ut ſit prauitate appetendi magis bellua q̄ homo dicendus.Cū uero mens in eo ultra communem humanę perfectionis ſtatum perſpicitur,& per habitum prudentię nihil niſi ſanctum,pium,religioſum atq; diuinum excogitet,atq; appetitui iubet,uſq; in deorum ſimilitudinem exurgens,homo tunc Heros,atq; diuinus fit , quaſi

ſupra

ſupra ſtatum hominis exiſtens Deus. Quo fit, ut uirtus ob immortalitatem ſit expetenda, Qua uidelicet homo reddatur Deus, aut Hero, qui ſupra homines eſt. Vnde & decimo ethicorum libro talis autem inquit, potior uita eſt, q̃ illa, quę eſt ſecundum hominem, non enim qua homo eſt, ita uiuet, ſed quo diuinum quoddam in ipſo exiſtit. Quantum autem differt hoc a compoſito, tanto & hęc operatio ab illa, quę eſt ſecundum aliam uirtutem. Si itaq; diuinum eſt mens ad hominem, & uita, quę eſt ſecundum illam, diuina eſt ad humanam uitam. Hactenus ipſe, Quibus non eſt obſcurum eſſe alteram uitam hominis contracti ad pręſentem ſtatum. Alteram autem hominis ſimpliciter, quę uidelicet eſt ſecundum mentem, tanto pręſtabiliorem illa, quanto mens homine compoſito excellentior eſt. Et, cum minus bonum ſemper ſit gratia melioris, iure uita uere libera, quę eſt ſecundum uirtutes, ad uitam hominis ſimpliciter, quę ſecundum mentem agitur, ordinatur. Et propter illam expetitur.

De ſimpliciter fœlici, & uero uitę liberę fine.

EX ijs non erit obſcurum deducere quid ſit uere, ac ſimpliciter fœlix. Secundum philoſophum Ariſto. Libro ethicorum decimo concludit enim fœlicem eſſe, qui ſecundum mentem operatur, & eam colit, & optime diſpoſitus eſt, et qui dijs amiciſſimus eſt. per hoc quod dicit, optime diſpoſitus eſt, tangit eum eſſe perfectum in uera uiuendi libertate, quę eſt uita ſecundum uirtutem, per id uero, quod ait ſecundum mentem operatur, & eam colit, tangit contemplationem numinum, ad quam uita quę ſecundum uirtutem uere libera eſt ordinatur. cum uero dicat, dijs amiciſſimus eſt, tangit pręmium uitę ſecundum uirtutem: non enim ſapiens atq; fœlix in huiuſmodi ſtatu conſtitutus ſuarum uirtutum pręmium ad ijs accepiſſet, niſi eis amiciſſimus tandem factus eſſet. Quare per hoc, quod amiciſſimus, dicit, pręmium ſuarum uirtutum fœlicem accepiſſe ſignificauit. dicit etiam huiuſmodi fœlicem eſſe in cura deorum tanq̃ omnium, quę ſunt in ſublunari mundo optimum. Et propter ea ipſos Deos inquit, gaudere ipſo fœlici tanq̃ optimo, atq; maxime ſibi cognato. Quod ſi hæc uera fuerint, non modo coniectandum, ſed quaſi aſſerendum eſt Ariſto. affirmaſſe aliam uitam, ultra pręſentem, in qua fœlix beate uiuit, Prophanus autem cum dolore atq; triſtitia languet. exiſtimandum inſuper eſt, ueram uiuendi libertatem, quę hominis uita eſt ad pręſentem ſtatum contracti: non eſſe propter ſe expetendam, ſed propter fœlicem uitam hominis, quę eſt ſecundum mentem. Poſtremo concludendum eſt, eſſe fœlicitatem pręmiatoriam, & meritoriam, etiam ſecundum Ariſto. lõge plura illuſtriſſima Victoria poſſent ſcribi, ſed quoniã in libris philoſophicis accuratiſſime rem omnem diſſeruimus, bona fronte ſuperſedendum eſſe arbitramur. Illud unum uelim non ignores, Alexandrum, Aphrodiſium, Themiſtium Euphratam, Auempacem atq; Abubacem Hiſpanos, Alpharabium Babylonienſem, & Auerroem Cordubenſem uiros in Ariſto. Scholis doctiſſimos arbitratos eſſe fœlicitatem duplicem meritoriam, & pręmiatoriam, et utranq;

in pręſenti

in pręſenti uita hominibus accidere. Meritoriam quidem cum duplex pars animę omni ex parte perfecta euadit, appetitus ſcilicet, & intellectus. appetitus enim cum Heroica obedientia fuerit affectus, rationi ſe ſubiacet, & a mente non diuertit, & cum a mente nō diuerterit, non ſolum nobis impedimento non eſt, ſed ad philoſophandum iumento, atq; calcari. Intellectuus etiam, qui a philoſophis potentię intellectus dicitur, ſiue poſſibilis, cum ab ſcientijs omniū rerū, quę ſciri poſſunt, perficitur, atq; impletur effectus eſt quaſi condigna materia ad recipienda numina, ut formas. meritoriam autem, nam hac duplici animę parte perfecta, atq; omnino elata, uirtutibus uidelicet, & ſcientijs, Deū quem agentem intellectum uocant, quadam naturę neceſſitate copulari animæ arbitrantur ut formam; quo copulato homo erit duplici fœlicitate fœlix, meritoria quę eſt uita ſecundum uirtutes uere libera, & pręmiatoria, quę eſt contemplatio numinum, non obſcura quidem, ſed clara, intuitiua, atq; matutina. nam fœlix ui copulationis cū deo ipſum Deū cęteraq; numina per eſſentiam intelliget, modo uidelicet, quo Deus ac numina ſe ipſa intelligunt. Ad hunc autem ſtatum poſſe peruenire homines ex eo potiſſimū probarunt, quod nobis natura inſitus ſit appetitus intelligendi numina omni ratione, qua illa ſunt apta intelligi. Quare ſi appetitus fruſtra non ſit, aliquando ad eum ſtatum peruenient homines, in quo Deum cęteraq; numina intelliget modo, quo illa ſe ipſa cognoſcunt, & appręhendūt. In hoc autem ſtatu homines ad huiuſmodi fœlicitates peruenire autumant, qui nullū aliū ſtatū hoīes pręter pręſentem habere exiſtimauerint. Sed quoniam in noſtro de intellectu libro, atq; in eo, quem de immortalitate animę edidimus, hęc omnia diligentiſſime refutauimus, tanquam fictiones magis propter ocium, quam propter ueritatem inuentas, nunc ex ijs hoc accipiamus primo, duplicem eſſe fœlicitatem, & pręmiatoriam, & meritoriam, licet eas his nominibus non appellent, deinde meritoriam eſſe propter pręmiatoriam. Quare ex ijs atq; alijs pro libri fine pateat, quid ſit uera uiuendi libertas. eſt enim uiuere ſecundum uirtutes potiſſimum ſecundum prudentiam. Pateat inſuper finem eius uitę quę eſt ſecundum ueram libertatem, eſſe beatitudinem, quę nihil aliud eſt quam Dei, ac numinum clara, atq; intuitiua contemplatio. pateat deniq; pręmium uirtutum uitęq; uere libere eſſe beatitudinem, ad quam Deus ſua nos bonitate, atq; gratia conducat.

Neapoli. M. D. XXX. Septembrij. X I X.

E EIVSDEM

EIVSDEM AVGVSTINI NIPHI MEDICIS PHILOSOPHI SVESSANI DE DIVITIIS LIBELLVM AD IACOBVM FILIVM.

SAepe me rogaſti Iacobe fili, ut diuitias longe plures ac maiores tibi accumularem ijs, quas a me poſt obitum es poſſeſſurus: ut ergo intelligas diuitias, & quæ ſint, qualesue, & quot, quanteq́; ad fœlicem uitam opus ſint, hunc libellum ad te ſcripſi, ex quo clare intelliges, uana eſſe, quę quęris, declarabit enim tibi diuitias, quæ ad concupiſcentias, aut ad opinionē uulgi deſiderantur, finē nullū habere. quę uero & ad beatam uitā, et ad ciuilē optimā, lōge pauciores minoresq́; eſſe ijs, quę a me poſt obitū poſſidebis.

De nominibus quibus diuitiæ appellantur, & de diuiſione earum,

QVoniam, ut diximus, de diuitijs nobis agendum eſt, de nominibus, quibus appellantur primo, deinde de earum diuiſione diſſerendum: eſt enim quid nominis (auctore Ariſtotele) omnium præcognitionum prima. Diuiſio uero præfacienda, quoties id, de quo facienda eſt oratio ęquiuocum, ac multiplex eſt. Diuitiæ itaq; quemadmodum apud nos, ita apud Gręcos non uno nomine uocantur. τὸ ἄφενος in genere neutro, & in maſculino πλοῦτος Latinæ diuitias ſignificat. Apud uero naturales rerū poſſeſſiones dicuntur diuitię, & opes, & facultates diuitię enim ab opibus ita dicunt ꝙ diuitiæ ſint, ut utaris opes uero, ut alijs opituleris, unde Cicero in libro de amicitia diuitiæ ad neceſſariū uſum ſunt, opes ad magnificentiam. A diuitijs diues dicitur, qui auctore Varrone quaſi Deus nihil indigere uideatur. Ab opibus autem opulentus, hic autem eſt, qui terræ rebus abundat. Et quoniam cum aliquis diues eſt, atq; opulentus, facile quod uult, agit ut Petronius inquit, diuitiæ etiam facultates dicuntur, a quibus & facultoſus, diues eſt, & opulentus. Sunt autem diuitiæ non una ratione, nam aliæ ſunt naturales, ut res naturales, quę a nobis poſſidentur pro uitæ neceſſitate. Aliæ autem artificiales, ut pecuniæ, & lapides, & metalla, quæ commutatione, etiam quaſi ex accidente diuitiæ dicuntur.

De ipſa Domo quædam.

IIs de nominibus, & diuiſione pręnarratis, ſupereſt, ut breuibus ea exponamus, quę neceſſaria ſunt ei ſermoni, qui de diuitijs eſt. Quorum primum eſt Domus ipſa, eſt autem domus ſocietas, quę ex primis, atq; ſecundis ſocietatibus conſtat, ordinata & ad uiuendum, atq; beate uiuendum. Primę ſocietates ſunt maris & fœminæ, quæ facta eſt propter ſalutem hominum in ſpecie. Alia eſt domini & ſerui facta propter eorum ſalutem in indiuiduo, nam ſeruus protegit dominum utilia ei adminiſtrando ſine quibus

dominus

dominus uiuere non poſſet. Dominus autem ſeruum, eum a periculis ſeruando, quę ſua ignauia poſſet ſubuenire, & neceſſaria uitæ ei impartiēdo: atq; uictui neceſſaria pręben do, quę ſine domini prudentia conſequi nequiret. Ab his autem ſecundarię ſocietates pro fectę ſunt, ab ea enim, quę eſt Maris cum fœmina, ea ſocietas emerſit, quę eſt patris cū filijs, ſiue matris cum liberis, pater enim & mater unam perſonam ſubueunt. Et per libe ros tam maſculos, q̄ fœminas intelligit Ariſto. ab ea autem, quæ eſt domini cum ſeruis, proceſſit ſocietas oeconomi hoc eſt gubernatoris domus, ſiue ille ſit pater familias, ſiue illius uicarius, cū poſeſſionibus, & diuitijs. Quid uero ſit uita, quidue beata uita eorum, qui in domo uiuunt, in libris ethicorum ſatis dilucide explicauimus. Nunc uero pateat domum eſſe ſocietatem quandam ex primis, atq; ſecundis ſocietatibus conſtitutam, ordi= natam & ad uiuendum, & bene uiuendum. Heſiodus uero ad primas ſocietates atten dens, dixit domum quidem in primis mulierem atq; bouem & aratorem continere, bos enim pro ſeruo pauperibus eſt. Et cum dixit mulierem, cointellexit uirum, uir enim & uxor eandem ſubeunt perſonam. Et cum dixit aratorem, dominum intellexit. Ariſtoteles uero omnium philoſophorum doctor, domum ſocietatem eſſe dicit ſecundum naturam, eorum uidelicet quos Charondas Catinienſis quidem ὁμοσιπύους, homoſipyos, Epime nides uero Cretenſis ὁμοκάπους Homocapos appellat dixit quottidiana, nam actionum humanarum, quędam ſunt quottidianę, ſicut comedere, ad ignem calefieri, & id genus. Quædam autem non ſunt quottidianę, ſed quibusdam temporibus interpoſitis inter ho= mines emergentes. Vt mercari, pugnare, & id genus. licet igitur in utro q; operationum genere homines ſibi inuicem a natura communicent, domus in inſtituta eſt, ut in actibus quottidianis cohabitantes conuerſentur. Ciuitas uero, uel uicus ut communicent in hu= manis actibus, qui interpellatis diebus exurgunt. Dixit autem ſecundum naturam, nō intelligendo per domum parietes, & tecta, quę arte fiunt, ſed ſocietatem cohabitantium, qui ratione habita ad naturales ipſas inclinationes. Quibus homines proni, aptiq; ſunt ad cohabitandum, ſocietatem quaſi natura conſtituunt, quam gręci oeciam, ſiue oecion, ſi ue oecum uocant: nos autem domum. Cohabitantes uero Charondas legum lator catinie̅ ſis ὁμοσιπύους, Homoſipyos, hoc eſt eiuſdem arcæ: ab ὅμως, ſimul, & σιπύη, arca, tam & ſi apud nonnullos σιπύη, græce, latine ſit repoſtorium panis. Epimenides ue= ro Cretenſis (quem Plato tertio libro de legibus dicit longe nouarum rerum excogita= tione excelluiſſe apud Atticos, quemq; Plutarchus in condendis legibus Solonis fuiſſe collegam tradit) appellat ὁμοκάπους, homocapos hoc eſt eiuſdem præſepij, atq; menſæ, nam κάπυ, præſepium uel menſa eſt, ſunt qui legunt ὁμόκαπνος hoc eſt eiuſdem fumi, uel foci. Capnos enim fumus, uel focus eſt. Cohabitantes enim ſedent in eodē igne. Quid igitur ſit domus ex hiſce perſpicuum.

De Oeconomia, Oeconomica, œconomo, & de opere œconomico.

Poſt hęc quid Oeconomus ſit, exponamus. eſt enim œconomus, qui uniuerſæ rei familiari, quæ œconomia a græcis dicitur, pre eſt, hic enim eſt rerum domeſticarum omnium diſpenſator. Verum diſpenſare rem familiarem eſt, aut per ſe propriaq́; cura, aut per ſubminiſtros. Primo modo priuati ciues ſuarum rerum familiarium œconomi ſunt. quoniam non per miniſtros, ſed per ſe proprie rei familiari ſtudent eamq́;, ut decet, diſpenſant. Et ſi aliquos ſeruos habuerint, eorum ipſi ſunt pręfecti. Secundo uero modo principes, & qui rem publicam gerunt, uel ſtudijs philoſophiæ incumbunt, rerum ſuarum familiarium œconomi ſunt, cum enim ſcientia gubernandi domum non magnum aliquid neq; glorioſum contineat, loco œconomi uicarius hunc honorem ſuſcipit, ipſe uero, ut Ariſto. inquit, aut rei publicę adminiſtrandę, aut ſtudijs philoſophiæ intendit. Ideo quibuscunq; facultas eſt ceſſandi a domeſticis laboribus: ſuadet Ariſtoteles, ut ceſſent, melioribusq́; rerum ſtudijs ſe tradant. Eſt autem œconomica, ſcientia, ſiue ars, ſiue diſciplina diſpenſandi atq; gubernandi omnes res domeſticas, unde quemadmodum rex gubernat, atq; diſpenſat per regiam diſciplinam regni res cunctas, ita quoq; œconomus per œconomicam res familiares omnes. Differt autem ſcientia gubernandi domum quę dicitur œconomica ab ea diſciplina quæ dicitur acquirendi. Nam illa (ut poſterius diſputabimus) diſpenſando utitur bonis acquiſitis, hæc uero parat uel ſeruat. Opus autem œconomicum primum eſt rerum familiarium recta diſpenſatio, ultimum autem eſt uita, (ut Ariſto. & Plato aſſerunt) atq; ſtudioſa uita eorum, qui in eadem domo conuiuunt, nõ enim ultimum œconomicum opus eſt uiuere tantum, nam cum uiuere nobis cum beſtijs commune ſit, etiam beſtiarum opus poſſet œconomicum eſſe. quod nemo ſanæ mentis diceret. finis uero eius diſciplinę, quæ eſt in acquirendo, eſt diuitiarum acquiſitio. Hæc autem multum differt ab operibus ipſis œconomicis: de quibus poſterius eſt diſſerendũ. Concludendum igitur eſt ultimum œconomicum opus eſſe bene uiuere, bene autem uiuet, quicunq; ſecundum uirtutem uiuet, & longe magis, qui uiuet ſecundum eam uirtutem, quę eſt cęteris maior, ut puta, qui uiuet ſecundum prudentiam: quæ nihil aliud eſt, niſi recta agendi ratio, adhuc longe maxime, qui uiuet ſecundum ſapientiam, quæ nihil aliud eſt (Platone auctore) q̃ diuina cognoſcere, & humana recta ratione gubernare, & hęc ad illa dirigere. Hoc igitur eſt ultimum opus boni œconomi, atq; ſcientiæ œconomicæ finis. Ex ijs non eſt difficile tibi intelligere fili ad quid domus ipſa ſit inſtituta, non enim domus inſtituta eſt, ut res domeſticę diſpenſentur, ſed etiam ut uiuamus, nec ut uiuamus duntaxat, quia ſic nidus more uirgiliano domus eſſet, nam Aues nidum faciunt, ut pulli uiuant, & creſcant: ſimili ratione armentum ſtabulum, grex, domus eſſent. quippe cum in uno quoq; horum beſtię uiuant, ac concreſcant. Sed ut bene, beateq́; degamus, ſic enim domus a nido, & a quouis habitaculo differet. Sunt itaq; opera œconomi, œconomicæq́; diſciplinę, primum quidem rerum familiarium recta diſpenſatio, poſtremum autem bene uiuere.

Diuitias

Diuitias non eſſe materiam, ſed inſtrumentum œconomi, œconomicęq;, Diuitiarumq; acquiſitionem finem eius diſciplinæ, quæ eſt in acquirendo.

SEd cum artificis fere cuiuslibet, artis inſuper omnis duplex inſtrumentum cerna mus (auctore Ariſtotele omnium philoſophorum principe) alterum inanime, ueluti gubernatori nauis Tertio eſt inſtrumentum Inanime, alterum uero animatum, ut proretarius, qui iuſſu gubernatoris proram gubernat. Sic œconomio, œconimicęq; diſciplinæ duplex inſtrumentum aſſignatur pro tuenda uita, alterum inanime, ut ipſa uniuerſa poſſeſſio, ipſæq; diuitię cunctæ, cuiuſuis generis fuerint, alterum animatum, ut ſeruus, qui licet poſſeſſio quędam ſit, tamen uelui miniſter in arte, & inſtrumentum ſupra cęteris inſtrumentis eſt, utitur enim ſeruus pro œconomi imperio cæteris domeſticis inanimatis inſtrumentis, mouetq; ea. Quando enim oportet & lectum, & ueſtem, cęteraq; bona tum mobilia, tum ſtabilia pro iuſſu œconomi, atq; liberorum mouet. Eſt autem inſtrumentum animatum neceſſariũ œconomo, œconomicęq; diſciplinę, nam ſi unũquodq; inanimatorum inſtrumentorum imperium œconomi cognoſceret, perficeret opus ſuum, & ſicut pectines per ſe pectinarent, plectra per ſe cytharizarent. Sed cum inanimata inſtrumenta non cognoſcant, ideo œconomo ſeruo opus fuit, qui imperium eius cognoſcens, moueat inſtrumenta inanimata pro iuſſu illius. Vnde recte Ariſto. Si poſſet, inquit, unumquodq; inſtrumentorum ad iuſſum uel ad nutum domini, uel artificis opus ſuum perficere, ut ager fructus facere, calceus calciare, ueſtis ueſtire, quemadmodum quę Dedali ſunt ſecundum famam, (fecit enim Dedalus ſtatuam, quę ſe ipſam mouebat) aut quemadmodum erant uulcani Tripodes, quos Poeta Homerus ſponte ſua diuinum certamen, quod fiebat in miniſterio templi, agreſſos eſſe narrat, nec Architectus miniſtris, nec œconomus ſeruis indigeret. Sunt igitur poſſeſſiones, diuitiæ, bonaq; cuncta tum mobilia, tum etiam ſtabilia atq; pecunię inanimata inſtrumenta, ſerui uero animata, quibus œconomus utitur pro tuenda uita omnium eorum, qui ſecum habitant. Et quoniam inſtrumentum duplex eſt, factiuum quidem, quo aliquid fit in exteriore ipſa materia præter uſum eius, ut inſtrumentum artis Martellus uidelicet, quo faber gladium facit pręter uſum Martelli. Actiuum uero, quo nihil fit pręter illius uſum ut ueſtis atq; lectica, quibus nihil fit præter uſum, fit ut ſerui, atq; diuitiæ cunctæ inſtrumenta ſint actiua. Accedit ad hęc, quoniam uita, pro cuius neceſſitate huiuſmodi inſtrumenta ſunt inducta, non factio ſed actio eſt. Quare & ſeruus, & cuncta bona ad agendum inſtrumenta ſunt. Differt autem inſtrumentum a materia, nam inſtrumentum eſt quo artifex opus ſuum perficit, ut pecten textori, materia uero id, in quo artifex per inſtrumentum operatur, ut ęs, ex quo ſtatuarius facit ſtatuam, & lana, ex qua textor facit pannum. Sunt igitur diuitię œconomo non materia, ſed inſtrumenta actiua, quibus utitur ad neceſſitatem uitę eorum, qui ſecum uiuunt, nec non et ad bene, beateq; uiuẽdum: quod ita eſſe proximo capite perſpicuum eſt. Quid uero finis eius diſciplinę ſit, quę in acquirendis diuitijs eſt,

tijs eſt,non eſt obſcurum,eſt enim Diuitiarum ipſa acquiſitio , diſciplina enim quæ in acquirendo eſt,non materiam œconomo,ſed inſtrumentum ſubminiſtrat:per quę etiam patet œconomum non eadem diſciplina gubernare rem familiarem , & acquirere diuitias.Diſciplina enim qua acquirit diuitias,ſubminiſtra eſt ei diſciplinę, per quam domũ gubernat. Non quę parat materiam,non enim diuitię materia ſunt,ſed quæ parat inſtrumenta,ueluti pectinaria,quę eſt ars faciendi pectines , quibus tex tur , ſubminiſtra eſt arti textorię,quatenus illi proprium parat inſt umentum.

De modis acquirendi diuitias ijs,qui prę ter communem ordinem uidentur.

Minyas

IIs exploratis,ad modos deueniendum eſt,quibus diuitiæ acquiruntur præter communem ordinem qui licet innumeri ſint,(ut Ariſto.libro politicorum primo,)tradidit,tamen ad Typum quendam reducentes, dicamus diuitias extraordinem aliquando eſſe acquiſitas caſu,atq; fortuna,nonnunq̃ induſtria,interdum ludis,donis etiam non raro.Caſu quidem ac fortuna illi diuitias ſibi compararunt, qui Theſauros , aut nonnulla præcioſa caſu inuenerunt:ut Minyas qui ſua ętate mortalium fuit ditiſſimus. Hic enim cum inueniſſet lapides q̃plurimos præcioſiſſimos, primus Theſaurum recondendis pecunijs ſtruxiſſe fertur. Donis quoq; non paucos ditatos eſſe legimus . Vt Ablabium, Ægyptium philoſophum Donis Conſtantini imperatoris.Oppianum poetam Antonij imperatoris Seueri,Theombrotum medicum Ptolemęi Regis.Seleũ Baſſum poetam lyricum, Veſpaſiani.Democedem medicum ditatum eſſe Donis Darij.Temporibus autem noſtris Matthias pannonię Rex Ioannem Monteregium.Ephemeridum ſcriptorem multis auxit honoribus & diuitijs.Induſtria etiam,qualis fuit illa Thaletis Mileſii,qui mileti, atq; Chij omnium oliuarum futuri anni ſibi uenditionem reſeruans,magnam uim pecuniarum lucratus eſt,per quam tradunt eum oſtendiſſe amicis profacile eſſe philoſophis ditari,ſi uellent,ſed hoc non eſſe illis curę.Hac eadem induſtria quidam in Sicilia Mercator quicquid erat ferri ex ferrarijs emit,poſtea uero Mercatoribus illuc accedentibus uendebat ſolus,non magnum exceſſum præcij faciens , ſed tamen ita ut proquinquaginta talentis,centum conficeret.Hoc itaq; ſentiens Dionyſius Syracuſanus pecunias quidem illi iuſſit efferre,ſed amplius ſyracuſis morari uetuit , ut qui queſtus reperiſſet ipſius rebus inutiles.Mercator autem iſte ex induſtria ditatus eſt. Nam ſibi ſoli uenditionem comparauit:quemadmodum Thaletem feciſſe traditum eſt. Ludis præterea nonnulli ditati ſunt,ut Lengus in urbe Roma apud Pompeium. Vt Æſopus Tragœdus ludis hiſtrionicis ad tantam peruenit opulentiam,ut ſeſtertio centies ei patina ſteterit , reliqueritq́; filium adeo diuitem ut is uniones liquefactos cœnæ apponeret . Pallas Claudij libertus in ludis una nocte longe,q̃ Craſſus dictior euaſit.Poſt hæc de modis acquirendi ordinarijs diſſerendum, quorum alii ſecundum naturam,alii ſecundum artes alii deniq; ſecundum diſciplinas eſſe uidentur,& quoniam modus acquirenda, qui eſt ſecundum

naturam

naturam ex modis uiuendi tum in animalibus, tum in hominibus, qui natura inſunt facile colligitur: ideo de animalium uitis primo, deinde de uitis hominum diſſerendum.

De Vitis ferarum.

De uitis ferarũ diſſerentes dicamus, primo ferarum alias gregales eſſe, alias autẽ ſoliuagas, alias uero quę nunc gregales, nunc ſoliuagæ ſunt, ut hoc uel illo modo eis cõducit ad uictũ. Gregales quidẽ ſunt, ut oues, capre, boues, cętereq́; id genus, Soliuagę aũt leones, nunc aũt gragales, nunc ſoliuagæ ut lupi, & uulpes, lupi enim & uulpes aliquando ſoli, aliquando cum aliis cibum quærunt. Eſt inſuper ferarum alia differẽtia, quippe cum alię uiuinorę, quę uiua comedunt animalia, ut ferę, auesq́; rapaces, aliæ fructiuorę, quę herbas atq; fructus comedunt. Alię omniuoræ, quę indifferenter omnia uorant. Ideo propter uariam ciborum electionem harum uitas natura diſtinxit Nam ferę, quę uiua uorant, ut pugnaces ſint, oportet. Alioquin non poſſent cibum inuenire, quę uero herbas, atq; fructus, cum ubi tales facile reperiri poſſint ſimul uiuunt, atq; indeſidia. Atque indifferenter omnia comedunt, partim ſimul, partim ſola aliquando uiuunt modo quo eis conducit ad uictũ. Verũ cum non idem dulce ſecundũ naturã ſit cunctis aĩalibus, nã diuerſis aĩalibus delectabilia diuerſa ſunt, quippe cũ nõ omnia animalia quę carnibus ueſcuntur, eiſdem carnibus delectentur, nec omnia fructiuora eiſdẽ fructibus, ſed alia aliis, icirco eorum animalium, quę uiuinora ſunt, & eorum quę ſunt fructiuora, uitæ hoc eſt uiuendi modi inter ſe differunt.

De uarijs hominum uitis.

Ex iis, quæ diximus de uitis, modisq́; uiuendi in feris, non erit difficile colligere uitas hominum uarias. Et licet plures ſint ſecundum Ariſtotelem libro politicorum primo, tamen ad has reduci poſſunt, nam alii uiuunt ex pecoribus, quorum uita paſtoralis eſt, ueluti qui pigerrimi ſunt, & Palantes homines, horum enim uita ocioſa eſt, quoniam a manſuetis animalibus ſine labore uictum habent, qui enim paſtoralem uitam ſequuntur, nõ alium laborem ſubeunt, niſi cum fuerit neceſſariũ mutare paſcua pecoribus, coguntur enim tunc una cum pecoribus locum mutare, & hi ſunt qui agri culturam quãdam uiuam colere uidẽtur, colunt enim gregem, uel armentum, uel id genus, ac ſi colerẽt quendam agrum, qui uiuit & mouetur. Alii autem a uenatione uictum ſibi comparant, uerum non uno modo, ut Ariſtoteles dicit, nam alii latrociniis & prędis ab hominibus factis cibum acquirunt, ut latrones, graſſatores, piratæ. Quod uero latrocinium & prędа, ſit ſpecies uenationis, Plato philoſophus eminentiſſimus ſeptimo libro de legibus probauit, nonnulli autem uiuunt a piſcatione, quicunq; paludes, ſtagna, flumina, aut mare colunt, piſcationem uero eſſe uenationis ſpeciem Plato eodem loco fatetur. Alii ab auibus, &

bus,& feris ſilueſtribus uiuunt,quicunq; agros & ſyluas accolunt, & hanc ſpeciem uenationis laudat omnes,de qua Plato ſeptimo libro de legibus multa dicit,aſſerit enim uolatilium uenationem ſeruilem magis q̃ liberam eſſe,pedeſtrium uero ſolam diuinam, non omnem quidem ſed quæ equis,canibus corporeis uiribus agitur. Et ſub uenatione Plato bellicam uenatum comprehendit, dicit enim uenatus res latior eſt, nomine uno comprehenſa,alius aquaticorum,alius uolatilium,alius pedeſtrium,nec ferarum ſolum, uerum etiam hominum,horumq́; non bellicus tantummodo, uerum etiam qui per amicitiam.Bellicam igitur diſciplinam ſub uenatione opus eſt comprehendere Ariſto. quoq; idem ſentit cum inquit,nam bellica eſt pars uenatorię,qua uti oportet & contra beſtias, & contra barbaros,qui ad parendum nati ſunt,nec uolunt parere.Sic igitur alii uiuunt a pecoribus,alii a uenationibus,tertius autẽ modus eſt eorum,qui uiuunt ex terra, atq; domeſticis fructibus, qui agricolę dicuntur.Modus autem uiuendi agricultura,eſt autẽ hic uiuendi modus omnibus communis,nam hoc pacto cibum elaboratum habent. Sunt qui ex iſtis miſcentes uiuunt mixtim,ſupplentes humanę uitę deficientiſſimę ex ea parte,qua deficiens eſt,id quod deeſt,ex altera,quouſq; ſufficienter uiuant.Sicuti qui miſcẽt paſtoralem cum prædatoria,uel agriculturam cum uenatione,ſimili ratione circa alias, ut indigentia compellit.

De diſciplinis naturalibus,quæ ſunt in acquirendo.

EX iis,quæ diximus,perſpicuum eſt omnes diſciplinas naturales ſimplicesq́; quæ conſiſtunt in acquirendo,in tria genera reduci,quippe cum alia ſit paſtoralis,alia agricultura,alia uenatoria:ſub uenatoria uero ſunt piſcatoria,prędatoria,& ea uenationis ſpecies,quæ alimentum accipit ex feris,& auibus ſilueſtribus,quæ per excellentiam uenatio dicitur.Inſuper ſub uenatoria eſt etiam bellica,eſt enim bellica contra eos homines (auctore Ariſtotele) quicunq; ad parendum nati ſunt,ut barbari,nec uolunt parere. Qui uero huiuſmodi diſciplinę ſint natura,perſpicuum eſt tum ex parte noſtra,tum ex parte rerum,que acquiruntur.Ex parte noſtra quidem, nam pro naturali aptitudine, qua aliquis eſt aptus uiuere ſecundum aliquem dictorum modorum, ſic illum uiuendi modum excoluit.Vt ſi aliquis ex naturali ipſa aptitudine aptus eſt uiuere ſecundum modum uiuendi paſtoralem,uiuit,ut ita dixerim paſtoraliter.Et ſic de cæteris ſuo modo. Simili ratione ſi aliquis ex naturali aptitudine aptus eſt uiuere aliquibus illorum modorum miſtim,ſic quoq; natura uiuere excoluit.Ex parte uero rerum, quæ acquiruntur,nam res quibus apti ſumus uiuere natura nobis ſtatim poſt primam generationem,ſicuti etiam poſtea in ſecunda cum ad perfectionem deducamur,præbuit. Dicimus autem primam generationem eam,in qua non poſſunt animalia cibum per ſe ipſa accipere.Secundam uero eam,in qua poſſunt per ſe cibum ſibi quærere: hoc autem ita eſſe primo patet iis in animalibus,que ex ſemine naſcuntur,ordinauit enim natura iis, cum

in utero

in utero primo generantur, ſanguinem puriorem ex menſtruis, ut ex illo per umbilicalem uenam tanq̃ per radicem quouſq; in lucem eduntur, nutriantur. Poſtea uero eis in lucem æditis, lac parauit quod nihil aliud eſt, niſi illemet ſanguis, quo in utero ueſcebantur, ab eadem natura ad Mammillas tranſmiſſus. Completa uero prima generatione, cũ uenerint ad perfectionem, per quam poſſunt ſuo iure uiuere, ordinauit natura eis alimenta ex terra, ex aquis, ex aere, rebuſq; cæteris, quibus animalia ueſcuntur. Deinde idem ex ijs perſpicuum eſt animalibus quæ ex putredine, uel ex ouis gignuntur. Ex iis quidem, quę ex ouo, nam in ouo id, quod album eſt, in pullum conuertitur. Id uero, quod rubeum, tranſit in alimentum pulli. Et hoc quouſq; pullus intra teſtam conditur, poſtea uero cum in lucem editur, natura ordinauit herbas fructuſq;, ut illis ueſceretur. Ex ijs uero, quæ fiunt ex ouo, nam fit quoddam ouo ſimile, ubi id, quod rubeo ſimile eſt, in nutrimẽtum uermis tranſit, id uero quod eſt ſimile albo, tranſit in uermem. Deinde poſtq̃ perfectum eſt animal natura præparauit ei fructus, herbas, atq; cætera alia, quę ex aquis, terra, & id genus proficiſcuntur. Vnde & Ariſto. recte ait plantas, herbaſq;, atq; herbarum plantarumq; fructus eſſe animalium gratia, animalia autem cuncta propter homines, ex iis enim quæ ex terra naſcuntur, cuncta animalia ueſcuntur & uolatilia, & aquatilia, & terreſtria. Ex animalibus uero homines, & ueſcuntur, & commoda accipiunt. Ex manſuetis quidem, commoda atq; alimentum quoniã homines manſuetis utuntur ut bobus ad colendos agros, & ad calceos, qui ex eorum pellibus fiunt, & ad alimentum, quod ex carnibus accipitur. Equis uero ad equitandum & ad calceos. Ex agreſtibus uero, & ſi non ex omnibus, quia non ex ſerpentibus alimentum habent, ex pluribus tamen ueſcimur, ex ijs autem quibus non nutrimur. plurima commoda emergere nobis cernimus, partim ex eorum pellibus, partim quoq; ex pilis, ex oſſibus uero & inteſtini muſica inſtrumenta, & alia id genus. Patet igitur paſtoralem, uenatoriam atq; agriculturam diſciplinas eſſe naturales, nec ſolum has ſed quę ex hiſce miſcentur.

Quod licet paſtoralis, uenatoria, atq; agricultura ſint ſimpliciter naturales; tum nec uenator, nec agricola exercet opus ſuum ſine electione.

SEd ijs, quę diximus, occurret quiſpiam, quoniam cernimus paſtorem opus ſuum circa pecora non exercere ſine electione, non enim inuitus, aut neceſſitate compulſus excolit gregem, armentum uel ſtabulum, aut id genus. Quare diſciplina, per quam opus ſuum exercet, non uidetur nobis natura inſita, ſimili ratione de uenatore, & agricola contingit. Verum huius dubitationis dilutio ex ijs, quę diximus, non eſt obſcura. Nam ſi conſiderentur natiuæ aptitudines, ex parte noſtra, & ex parte rerum, quæ acquiruntur paſtoralis, uenatoria atq; agricultura naturales eſſe uidentur. quippe cum aptitudines tam noſtrę ad acquirendum, q̃ rerum ut acquirantur, a natura ſint. At ſi cõſiderentur, aptitudines ut executioni mandantur, ſunt per electionem. Quare licet huiuſ-

modi diſciplinę, ſi referantur ad aptitudines, ſint naturales admodum, tamen nec paſtor, nec uenator, nec agricola ad opus earum uenire poterit, ſine electione, ſunt itaq; huiuſmodi diſciplinæ quidem uoluntarię, quatenus, ut ita dixerim, executioni opus mandant. Sunt uero naturales, quo aptitudines earumq; propenſiones nobis natiuę ſunt ad acquirendum, rebus uero naturalibus, ut acquirantur.

Quod nullum ſit animal, nullaq; planta, quæ non ſit hominis naturalis poſſeſſio, & de abuſu eorum.

POſſet inſuper quiſpiam aduerſus ea, quę dicta ſunt, adhuc ambigere ex eo quidē, quia nonnulla animalia, nonnullæq; plantę uidentur non eſſe hominis cauſa a natura productę, quippe quæ nec ad alimentum, nec ad aliam utilitatem ſunt, quemadmodum noxia animalia, noxięq; plantę, atq; uenenoſę per quæ uideri alicui poſſet nec animal omne, nec omnem plantam eſſe poſſeſſionem homini a natura ipſa oblatam. Siquidem poſſeſſio omnis, omniſq; res homini acquiſita ab ipſa natura ſit cuiuſdam boni gratia. Sed hoc quod obijcitur, diluere poſſumus, aſſerereq; nullum eſſe animal, nullā quoq; plantam quæ non ſit a natura producta hominis cauſa. Et primo quidem hoc generatim probare enitemur, deinde ſpeciatim de noxijs uenenoſiſq;, & generatim quidem ex eo, quia ſunt homine ipſo imperfectiores atq; cum ſemper peius imperfectiusq; (autore Ariſtotele) ſit melioris atq; perfectioris gratia, fit ut nulla ſit planta, nullum quoq; animal, quod non ſit hominis cauſa natum. Deinde quia natura, nec in ſuperfluis excreſcit, nec in neceſſarijs manca eſt, At cum hominem fecerit, qui alimentis, ueſtimentis & etiam alijs nonnullis indiget ad ſui uel neceſſitatem, uel delectationem, quæ omnia (ut Ariſto. probauit primo Politicorum libro) ex animalibus atq; plantis colligi poſſunt, ideo nonnulla ex animalibus & plantis natura pro alimentis, nonnulla pro ueſtimentis, alia pro alijs neceſſitatibus, atq; uoluptatibus uidetur conſtituiſſe. Inſuper terra, atq; elementa ordinata ſunt in plantas, ut ex eis plantæ cunctiq; fructus oriantur. Plantæ plantarumq; fructus in animalia, ut ex eis animalia uiuant. Animalia deniq; in homines, ut ex eis homines & ueſcantur, & ueſtimenta ſumant, & alias neceſſitates capiant. Ergo cuncta ſunt hominis cauſa. Hac ratione Ariſto. ipſe libro ſecundo auſcultationis phyſicę tradit, nos eſſe quaſi omnium finem. quod ſi ita fuerit, dubio procul erit perſpicuum nullum eſſe animal, nullam quoq; plantam, nullumq; eorum fructum, qui non ſit naturalis hominis poſſeſſio, nam cum hęc omnia ſint facta a natura boni cuiuſdam cauſa, ut uidelicet homini pro ſint, uidentur etiam omnia eſſe hominis naturales poſſeſſiones, quę ſunt ei naturaliter acquiſitæ. Tum ad neceſſitatem, tum ad utilitatem, etiam ad delectationem. Quod ſi ita fuerit non erit obſcurum eum hominem abuti animalibus atq; plantis, qui eis ad alium finem utetur q̃ ad bonum ſuę uitæ. Dicitur enim quiſq; aliquo abuti, cum id non in proprium finem ordinauerit, ob quem inſtitutum eſt, ueluti

ueluti qui calceo pro ueſte, aut muliere pro ſerua, non enim calceus factus eſt, ut eo ueſtiamur, nec uxor, ut ſeruiat. ſed calceo utimur ad tegendum pedem: uxore autem ad generandum. Hac ratione qui plantis atque animalibus utitur ultra ſufficientiam eorum, quæ ſunt uitę neceſſaria, atque utilia: plantis atque animalibus non iniuria abuti uidetur. Inſuper qui bruta atque plantas uendit finaliter, ut pecunias excreſcat, reponatque; in arcas ac poſſideat, & non ut ipſis utatur, cum occurrerit, in commutationibus, eorum, quæ ſunt uitę neceſſaria his animalibus & plantis, fructibusque; eorum abutitur, quippe qui in alium finem eis utitur, quam ipſa fuerint a natura ordinata. Poſt hæc ſpeciatim illud idē de uenenoſis obnoxijsque; patet, nam licet nec in alimentum, nec in ueſtem hominum cedant tamen ſunt propter hominem, primo quidem quia illa ſunt fortaſſe gratia aliquorum animalium quæ ſunt in bonum uel delectationem hominum. Deinde quia ex eis fieri poſſunt nonnulla medicamenta, quę in bonum hominum cedunt quod ex libris medicorum ſatis perſpicuum eſt. Præterea natura ea produxit, ut mundus perfectus eſſet, nihilque; eorum deeſſet, quæ fieri poſſunt. At cum mundi pulchritudo, ac perfectio in delectationem hominis emergat, fit, ut cuncta etiam obnoxia ſint hominum cauſa. Poſtremo dicere poſſumus ea eſſe facta hominum cauſa, quoniam licet noceant eis aliqua ex parte, tamen utilia eis ſunt, ut per ipſa deueniant in cognitionem ſuę naturę, recordenturque; ſuę fragilitatis. Nam ſic deducentur quotidie in cognitionem ſui creatoris, quod hominibus eſſe utile nemo eſt, qui dubitat.

Quo Iure omnia hominibus omnibus ſint communia, quoue non communia.

ET cum declaratum ſit cuncta animalia, cunctasque; plantas, tam conuenientes, quam noxias eſſe naturales hominum poſſeſſiones, fiet perſpicuum, ut ipſa quoque cuncta iure naturali quodam ſequente communem naturam hominum, ſint communes poſſeſſiones. Quod iccirco eſt uerum; quoniam natura non uidetur produxiſſe ea magis in bonum atque delectationem unius hominis, quam omnium. Quare uidetur feciſſe ea omnibus communia. De iure uero gentium ſequente communem hominum conſenſum ex communi electione emergentem dominia, poſtea ſunt diſtincta, in agris termini poſiti, obque deinceps de iure gentium introducta ſunt bella, diſcretę gentes, regna condita, edificia collata, commertium, emptiones, uenditiones, locationes, conductiones, obligationes, inſtitutæ, de quibus in legibus ſatis abunde ſcribitur.

Quę adhuc communia hominibus ſunt.

SVnt (quemadmodum diximus) diſciplinę nobis ex ipſis rebus naturæ, quę in acquirendo uerſantur: ſimplices quidem tres, ut paſtoralis, agricultura, atque uenatoria, miſtę uero plures, quatenus illę tres pluribus modis componi poſſunt pro uitæ neceſſitate. Diuitie,

te. Diuitię, quæ habentur per agriculturam, ſunt quæcunq; ex terra naſcuntur. Quę autem per paſtoralem ſunt omnia animalia manſueta quę in grege, uel in armento, uel in ſtabulo, aut in aliquo id genus excoluntur etiam & aues domeſticę, ut gallinæ, anſeres, anates columbi, & id genus: quæq; in nidis, columbarijsq́; educuntur. At quę per uenatoriam, non uno modo ſunt, nam per prædatoriam, bona uenamur; per bellicam homines, etiam & bona, ſed alia, ut diximus, ratione. Per piſcatoriam piſces, per aucupium ſilueſtres aues, & per eam uenationis ſpeciem, quæ dicitur per excellentiam uenatio, uenamur feras: quę per ſiluas atq; montes inerrant. Hę itaq; diuitiæ in prima hominum origine fuerunt omnes communes, licebatq́; cuiq; pro arbitrio ſibi eas comparare, poſtea uero cum ex communi hominum conſenſu dominia diſtincta, & in agris termini poſiti ſunt, cęteraq́; (ut diximus) ſeperata, adhuc quædam remanſerunt communia, ea quidem quæ per aucupium acquiruntur, communia remanſerunt, ſed non ubiq;. Nam (ut Plato dicit ſeptimo libro de legibus) auceps per incultos agros, atq; per montes uagari permittitur. A cultis uero locis, ſacrisq́; incultis a quocunq; pelli debet. Inſuper etiam ea quæ per piſcationem communia adhuc relinquuntur, ſed nec ubiq; quoniam, ut etiam Plato ait eodem loco, piſcator nec in portibus, nec in ſacris fluuijs, paludibus, ſtagnisq́; uenari poteſt. In alijs liceat, modo ſuorum non utatur permiſſione. Ea autem, quæ per eam uenationis ſpeciem acquiruntur, quæ dicitur per excellentiam uenatio, adhuc communia relinquuntur: non tamen ſecũdum omnem modum. Nam (ut Plato eodem loco inquit) nocturnus uenator, qui rhetibus & canibus ſuis fidens, uel laqueis uenatur, nullibi uenari eſt permittendus. At qui quadrupedes omnes curſu, uulneribus, telisq́; manu propria uenando uincere feras enituntur, ubicunq; (ut Plato autumat) uenari uoluerint permittantur. Diuitiæ, quę per prædatoriam nanciſcimur, communes non ſunt nobis cum hominibus, niſi cum homines hoſtes fuerint, bellumq́; aduerſus eos iuſtum. Diuitię quæ ſpectant ad bellicam, barbari ſunt, atq; eorum bona, nam (ut Ariſto. inquit) ſolum aduerſus barbaros bellum iuſtum græcis eſt, atq; latinis. Nam barbari ſunt natura: ſerui græci autem & latini natura domini. Quare barbari, & eorum bona grę cis omnibus atq; latinis communes ſunt. Earum autem diuitiarum, quę ad agriculturam ſpectant, agri quidem apud barbaros quoſdam communes ſunt, ut apud Ethiopas, eorumq́; finitimos. Necnon & apud Arabas, efficiuntur autem proprij interdum per uiciſſitudinariam occupationem. At fructus, qui ex agris percipiuntur, nullibi communes eſſe leguntur. Diuitię uero, quæ per paſtoralem acquiruntur, quacunq; quidem ſpecie illius eas naſcimur, non ſunt communes poſt primam hominem originem, ſed occupantis.

Quo modo huiuſmodi naturales diuitiæ ſint uere diuitiæ, non autem nummi.

HInc accipere pro exploratiſſimo debemus, ſolas res naturales, quas nobis pro uitæ neceſſitate natura ſubgeſſit, eſſe ueras, propriasq́; diuitias. Nam hę ſolæ ad

domus ciuitatisq; ſocietatem utiles eſſe uidentur.ij q; non modo ad uiuendum,uerumetiā ad beneuiuendum ſufficimus.Non deſunt tamen,qui nummorum multitudinem ueras diuitias conſtituant,& hi ſunt qui congregendis,cumulandisq; nummis ſtudent quorū argumentum,ut Ariſtoteles confecit,tale erat. Finis nummularię,atq; pecuniarię eſt pecuniarum multitudo.finis nummularię atq; pecuniarię ſunt diuitię,nihil enim aliud nummularius,atq; pecuniarius intendit,niſi diuitias accummulare:atq; congregere.Ergo in tertia Syllogiſmorum figura diuitię ſunt pecuniarum multitudo . Per huiuſmodi ſyllogiſmum arbitrati ſunt diuitias atq; multitudinem pecuniarum idem eſſe.Sed his non ab ratione Ariſto.ſcale omnium philoſophorum doctor , occurrit primo quidem quoniam ſi nummi diuitiæ uidentur,non ob aliud illud eſt,niſi quia lege (ut poſtea dicemus) ſunt introducti. At leges atq; nummi nugæ aliquando uidentur eſſe,nihilq; ſecundum naturam,ut apud Turcas nummi atq; Athenienſes leges temporibus hiſce . Pręterea mutatis lege,atq; propoſito eorum,qui utuntur nummis nummi nullius pręcipij,nulliusq; utilitatis erunt ad aliquid eorum,quę ſunt uitę neceſſaria,non enim exiſtimandę ſunt diuitiæ illę , quę (mutato hominum propoſito) nullam dignitatem habent in re ipſa familiari. Poſtremo fieri poteſt,ut locuples,nummisq; abundans,neceſſarij alimenti penuriam patiatur,ediaq; pereat.Sed abſurdum eſt aſtruere tales ueras eſſe diuitias,quarum quis abundans fame perire poſſit:ut de Mida in fabula proditum eſt,quam Ouidius undecimo Metamorpho.hoc carmine ſcribit.

Hinc Deus optanti gratum,ſed inutile fecit
Muneris arbitrium gaudens altore recepto
Ille male uſurus doni ,aut effice quicquid
Corpore contigero,fuluum uertatur in aurum.
Annuit optatis,nociturаq; munera ſoluit.

Fuit enim Midas Phrygię rex qui thronum aureum,in quo ius dicere ſolebat, (ut ſcribit Herodotus)delphico Apollini pro munere obtulit, qui licet fuerit ditiſſimus fame tamen perijt.Orauit enim Iouem,ut quicquid tangeret aurum fieret,uoto autem adimpleto,cibis ac potibus in aurum uerſis,inedia mortuus eſt. Qua ratione fit,ut nec nummi, nec aurum,nec aliud quoduis metallum uel pręcioſus lapis inter diuitias enumerari poſſit. Sed hanc ob cauſam,qui uere ſapiunt,alias opus eſt quærere diuitias,aliamq; acquirendi rationem.Verę ergo diuitię ſunt,quę nobis natura ſubgeſſit,de quibus ſatis eſt dictum.Quibus etiam non eſt obſcurum finem nummularij non eſſe diuitias,ſed acquirere nummos,qui ſunt commutatione atq; accidente diuitiæ,& (ut Ariſto.inquit) artificiales quidem.Hactenus de naturalibus diſciplinis,quę in acquirendo ſunt.Poſt hæc de artibus,quibus diuitię comparantur.Vbi primo enumerandę ſunt,deinde de modis,quibus per ipſas diuitię acquiruntur,agendum eſt,

Artes,quæ ſunt in acquirendis diuitijs.

Sunt

SVnt itaq; artes acquiſitiuę, quę in acquirendis diuitijs conſiſtunt, non una ratione, nam aliæ ſunt, quarum artificia conſtant ex materia, alię autem, quarum artificia ex materia non conſtant. Sed ſunt operationes ſine materijs. Secundi generis artes ſunt medicinalis, cuius artificium eſt ſanare, quod licet habeat materiam circa quam uerſatur, ut humanum corpus, non habet materiam ex qua conſtat, & militaris, cuius artificium eſt uincere hoſtes, quod & ſi materiam habeat circa quam, ut hoſtes, tamen non habet materiam ex qua ipſum uincere conſiſtit. Et ciuilis, cuius artificium eſt patrocinari, decernere in cauſis, & id genus, cuius artificij, & ſi aliqua fortaſſe materia ſit circa quā ut cauſæ, uel perſonę aduerſarię, tamen nulla prorſus eſt materia ex qua artificium ſtruitur. Primi autem generis artes ſunt, omnium opificum, ueluti fabrorum, lignariorum, ędificatorum, cælatorum, ærariorum, ut flatorum, fuſorum, ſtatuariorum, plaſtium, figulorū, item & lanariorum, ut textorum, ueſtiariorum, adhuc & coriariorum, ut ſutorum calcerariorum, & innumerorum pene talium, quorum enumerare artes, & materias eſſet difficile, & non multum neceſſarium, ſatis enim nobis ſit ſcire, nullum eſſe artificium talium, quin ex materia conſtat. Calceolarij enim artificium, eſt calceus, cuius materia eſt corium. Textoris artificium eſt pannus, cuius materia eſt lana, ſimili ratione, & in cæteris omnibus poteris reperire. Vt autem intelligatur, quo nam modo per has acquiruntur diuitię artificiales, & naturales, prius de commutatiua, commutationibusq; ipſis agēdum. Et cum nec de commutationibus, nec de ratione, quæ eſt in commutandis rebus, poſſumus diſſerere, niſi aliquibus ſuppoſitionibus nobis conſtitutis, primo ſuppoſitiones conſtituantur.

Quod cuiuſq; artificij, quod ex materia conſtat, duplex ſit uſus, immo cuiuslibet rei naturalis, quę eſt hominis poſſeſſio.

QVoniam (ut diximus) nec de commutationibus, nec de commutandi ratione dicere poſſumus, niſi quibusdam primo aſſumptis, accipiamus primo, cuiuslibet artificij, cuius eſt aliqua materia, duplicem eſſe uſum. Alter (ut Ariſtoteles inquit) proprius eſt, ut calcei calciatio, alter autem communis, ut uenditio. Vterq; enim uſus calcei eſt, nam qui calceum indigenti uendit pro pecunia, uel aboutitur calceo, qua calceus eſt ex re naturali tanq̄ ex materia, hoc eſt ex corio, dicitur autem uenditio uſus communis, quoniam communiter competit cuilibet artificio, qua artificium conſtat ex re naturali, quę eſt apta commutari cum alia re nobis a natura ſubgeſta. Competit etiam ueſti, qua ueſte conſtat re naturali .ſ. lana: ſimili ratione omnibus artificijs, quorum materia eſt res naturalis, quę commutationibus apta eſt, & idonea. Verum uenditio non eſt proprius uſus calcei, non enim commutationis atq; uenditionis cauſa factus eſt: ſed ut pes calciaretur. Hac ratione, qui utitur calceo ad calciandum, ut emptor, hic proprio uſu utitur calceo. Qui uero eo utitur ad uenditiones atq; commutationes, uſu communi eo utitur, cum

tur, cum cęteris rebus, quas nobis natura ſubgeſſit. Eadem ratione commutatio ſiue emptio ſit, ſiue uenditio, ſiue quęuis alia id genus, uſus communis eſt, cuiuslibet poſſeſſionis, quam nobis natura ſubminiſtrauit. Quippe cum poſſeſſio naturalis omnisq́; ut frumentũ ſiue aliud id genus. ſi in proprium finem referamus, cuius cauſa ipſum natura produxit, in proprium uſum uenit, ut ſi referamus in alimentum. Communis autem illius uſus eſt uenditio, uel emptio, aut alia quęuis commutatio. Nam hęc communis eſt frumento cum omni poſſeſſione quam nobis natura miniſtrat.

Quod cuiuslibet artifici ex ea parte, qua eſt artificium, commutatio uſus ſit præter naturam. Et quo modo artificij, quod eſt ſine materia commutatio poſſit eſſe communis uſus.

EX ijs, quæ pauloante diximus, perſpicuum eſt artificij ex ea parte, qua eſt artificium, commutationem ſiue uenditionem, ſiue emptionem uſum eſſe pręter naturã, ut calcei. Nã uſus, qui nõ eſt ſecundũ eũ finem, ad quẽ artificiũ eſt introductũ, pręter naturã artificij eſt. Talis eſt uenditio calcei ex ea parte, qua eſt artificiũ, nã calcei ex ea parte, qua eſt artificiũ nõ eſt uenditio, nec cõmutatio, ſed pedis calciatio. quare qui calceo utitur ex ea pte, qua calceus eſt artificiũ, ad uẽditiones, calceo utitur pręter naturali uſu. Qui uero ad calciationẽ, calceo uſu naturali uti uidetur. Et cũ omne pręter naturã ſit in iuſtũ, ſit, ut uẽditio calcei, atq; cuiuslibet artificii ex ea parte, qua eſt artificiũ, ſit iniuſta, ſed quo nam modo artificii, quod eſt ſine materia, cõmutatio poſſit eſſe cõmunis uſus: nunc diſſerendum, uidetur enim ipſius ſanationis, quę artificium eſt medici ſine materia, uenditio iuſta, & patrocinij, quod eſt artificium ſine materia artis ciuilis, et uẽditio iuſta, licitaq́;. At uenditiones & emptiones commutationes ſunt. Verum illud annotatione dignum eſt in artificio cum materia tria eſſe conſideranda, artificium ipſum, quo eſt artificium, materiam ex qua artificium ſit, ut in calceo corium, & in ſtatua cuprum. Et tertiũ ſunt labores, quibus artifex ad opus ſuum perficiendum ſubit. Sunt autem labores poſſeſſiones naturales, quas nobis natura pro uitę neceſſitate ſubminiſtrat, quęq́; uendibiles, atq; commutabiles ſunt: non aliter q̃ frumentum, uel uinum. Ita profecto, ut laborum ſit duplex uſus, pro ratione duplicis finis, quorum alter eſt commutatio, quę communis eſt laboribus cum omni naturali poſſeſſione. Alter eſt commodum uitę, habemus enim ex laboribus, quibus utimur ad aliquod opus perficiendum, commodum ad uiuendum. At in artificio, quod eſt ſine materia, duo tantum ſunt, artificium ipſum, et labor, quo expletur, atq; perficitur. Ex ijs perſpicuum artificium cum materia bifariam iure uendi, atq; commutari poſſe, una ratione quidem ex parte materiæ, quæ eſt quędam naturalis poſſeſſio, calceus enim ex ea ratione qua eſt corium commutari iure poteſt, eſt enim (ut diximus) commutatio communis uſus omnium naturalium poſſeſſionum. Altera autem ex parte laborum, ſine quibus nullus artifex opus ſuum ad finem deducere poteſt. Artificiũ uero

ſine

ſine materia, una duntaxat ratione eſt commutabile ſcilicet ex parte laborum, tantoq́; carius quanto labores, & maiores, & præſtabiliores ſunt, quibus promitur. Vnde Ariſtoteles magnus naturę rimator primo politicorum, aſſerit eum qui fortitudine aut militari utitur ad accumulandas, congregandasq́; diuitias, nec fortitudine, nec militari uti ſecundum naturam, nec medicum cum medicinali potentia utitur ea ratione, ſecundum naturam medicinali facultate uti arbitratur. Nam nec militaris, nec medicinalis eſt ad accumulandas diuitias ut in finem, ſed illius quidem finis eſt uincere huius aũt ſanare.

Commutationem fuiſſe primum uſum poſſeſſionum naturalium: & de ratione commutandi.

DEinde ſupponamus naturalium poſſeſſionum primum uſum fuiſſe commutationem naturalis poſſeſſionis cum naturali poſſeſſione: poſt quam procedente tempore ſucceſſerunt emptio, & uenditio, locatio, conductio, & cęterę commutationes artę conſtitutę de quibus in legibus agitur. Cœpit enim commutatio primo poſſeſſionis naturalis in poſſeſſionem naturalem, nam in prima hominum origine, alios plus de uino, alios plus de tritico, aliosq́; de alijs plura uel pauciora habuiſſe, exploratum habemus, Quo in tempore nullius nummi genus inuentum eſſe legimus. Et quoniam qui plus uini q̃ tritici habebat tritico egebat, ei opus erat uinum pro tritico commutare, ita quoq; contra. Dico autem in prima hominum origine, non quidem in ea ſocietate, quæ eſt domus, non enim inter ſe commutant uir, & uxor, dominus, & ſeruus, & pater ac mater cum liberis, quippe qui communiter omnia habebant. Sed auctis gentibus in ea ſocietate, quę eſt pagus, caſtellum, ciuitas, aut gentes. Nam ciues ſeparatim multa habebant alij uinum, alij triticum, alij deniq; oleum, quibus pro indigentia opus erat commutationem facere. comperto uero, percuſſo, obſignatoq́; nummo, emerſerunt uenditio, quę nihil aliud eſt, q̃ commutatio poſſeſſionis naturalis in nummum: & emptio, quę eſt commutatio nummi in poſſeſſionem naturalem, cęteræq́; aliæ id genus quæ arte fiunt de quibus in legibus diligenter, & per capita pertractatur. Ex ijs patet rationem commutandi primam non eſſe pręter naturam, primo quia poſſeſſiones, in quibus commutatio locum habet, ſunt naturales, nobis ſcilicet a natura oblatę pro neceſſitate uiuendi. Deinde quia indigentię, quibus homines indigent poſſeſſionibus, ſunt naturales. Inſunt enim nobis natura, naſcitur enim homo nudus, & multifariam indigens. Nullus enim naſcitur qui cuncta poſſideat, maxime in prima rerum origine. Et quia homines natura indigent, & poſſeſſiones hominibus natura offeruntur, ideo quaſi de iure naturę ſaltem ſecundario (quod eſt ius gentium) introducta fuit olim commutatio: quam uſq; ad hæc tempora plures barbararum nationes ſeruant, alia pro alijs dantes, recipientesq́;: ut ſeres, & Garamantes populi. Verum quamq̃ commutandi ratio, commutatioq́; ipſa naturales ſunt, iureq́; naturę introductæ, nihilominus ad actum, perfectionemq́; deduci non poſſunt, niſi ratione conſulente

ſulente

ſulente,atq; uoluntate eligente.Hactenus de ratione commutandi:Poſt hæc de pecuniaria,qua uidelicet œconomus utitur ad acquirendas pecunias.

Epilogus hoc eſt peroratio eorum,quæ diximus.

QVoniam de eo genere nobis diſſerendum eſt,quod pecuniarium uocant, reſumendi ſunt omnes modi,omnesq; rationes acquirendi,de quibus diximus anteq̃ de eo proſequamur,modi igitur ſiue rationes acquirendi,ut diximus,alij præter ordinẽ ſunt,qui nec natura,nec arte,nec diſciplina nobis inſint,alij nobis natiui ſunt ab ipſaq; natura ſubgeſti,quorum genus κτητικόν, hoc eſt acquiſitiuum ſiue poſſeſſiuum dicitur, ꝙ natura per ipſum acquiramus naturales ipſas poſſeſſiones.Cuius generis tres ſpecies enumerauimus,Paſtoralem,uenatoriam,agriculturam,& quartam addimus,quæ eſt ex aliquibus horum miſta,ut natiua neceſſitas compellit.Poſtea uolentes de pecuniario acquirendi genere diſſerere,enumerauimus artes,quibus homines diuitias acquirere conſueuerunt,tam eas quarum artificia conſtant materia,q̃ eas,quarum artificia ſine materia ſunt.Diximus etiam de ratione commutandi , commutationibusq; ipſis, hęc ſunt, quę diximus,cum quibus multa alia interpoſuimus , quæ uiſa ſunt nobis bona ratione non prętereunda.Reliquum eſt, nunc ut dicamus de alio acquirendi genere , quod (ut diximus) pecuniarium uocant,& de nummularijs facultatibus, necnon & de diſciplinis,per quas etiam diuitiæ acquiri ſolent,non prætermittentes quæcunq; alia nobis uidebuntur pertractatione digna.

De nomine pecuniarię,& de pecuniarum introductione,& quo modo pecuniaria differt a naturali ratione, quæ in acquirendis diuitijs eſt.

ESt itaq; genus aliud acquirendi,quod (ut Ariſto.inquit) maxime uocant,atq; iuſtum eſt ipſum nuncupare χρηματιστικόν, hoc eſt pecuniarium,nam pecunias,quarum hoc acquirendi genus acquiſitiuum eſt,græci uocant χρήματα. Differt autem primum acquirendi genus ab hoc,nam primum ineſt nobis natura,quoniam cuncta animalia natura docente quęrunt alimentum,ac cætera quę ſunt ſibi uictui neceſſaria.Inſuper primum eſt in acquirendis poſſeſſionibus quas natura nobis miniſtrat : ut ſit ſuperius recte traditum primum acquirendi genus eſſe nobis naturale,tum ex parte noſtra,tum ex parte rerum,poſſeſſionumq; ipſarum,quę acquiruntur. At genus acquirendi , quod nunc uocamus pecuniarium,nec ex parte noſtra eſt naturale,quippe cum ſit magis ſecundum quandam experientiam & artem , qui enim hoc lucrandi genere lucrantur, utuntur conuentionibus,commutationibus cuiuscunq; generis,quę ſine arte,atq; experientia nequaq̃ perficiuntur.Nec inſuper ex parte rerum , quas per huiusmodi genus homines acquirunt,quippe cum pecunias non natura,ſed ars nobis introduxit . Et licet

hoc ſecundum acquirendi genus a primo differat, non tamen ualde, non enim eſt omnino præter naturam, nam per huiuſmodi pecuniæ acquiruntur, quæ ut diuitiæ exiſtimantur, quippe cum per eas haberi poſſint cuncta, quæ ſunt nobis uitę neceſſaria. Vnde Ariſto. pecuniarium genus, quod in commutationibus eſt, inuentum eſſe aſſerit in ſupplementum quoddam eius indigentiæ, quę nobis natura ineſt. Cum enim natura alimentis, & cæteris nobis neceſſarijs indigeamus, pecuniaria uis emerſit, ut per eam pecunias acquiramus, quę ſunt in ſupplementum diuitiarum inſtitutę quare recte dictum eſt huiuſmodi genus non eſſe ſecundum naturam, non tamen omnino aduerſus naturam. Pecuniæ enim quas per huiuſmodi genus acquirimus, conſtructę ſunt, ut per eas poſſeſſiones naturales acquiramus, quę ſunt nobis a natura productæ. Et ita fit, ut ſaltem huiuſmodi genus ſit naturale merito ultimi finis, ad quem æconomus pecuniario genere utitur. Et ſi non merito proximi finis, quæ eſt pecunia ipſa.

De pecuniariæ origine, & de nummi introductione.

SEd unde profectum ſit pecuniarium genus, non erit difficile exponere. Ariſtoteles enim primo ortam in hominibus commutationem, poſſeſſionum naturalium eſſe probauit. Poſt modum gentibus auctis, ciuitatibusq; conſtructis emerſiſſe ſecũdum commutandi genus, quod fit pecunię in poſſeſſiones uel poſſeſſionum in pecuniam: cuius generis uenditio, & emptio, & cętere id genus ſunt. Ex hoc ſecundo genere ueniſſe autumat genus pecuniarium. Nam cum auctę eſſent gentes, & quaſi uniuerſa terra habitata, externum inſurrexit auxilium, quatenus res uictui neceſſarię exportantur ad remotas ciuitates, & ad proprias importantur: & cum hæc fieri non poterant facile, neceſſario nummi introductum eſt uſus. Comperto autem, percuſſo, obſignatoq; nummo, pecuniarium genus, quo pecunię acquirerentur, emerſit. Ad commutationes igitur in remotis faciendas tale aliquid compoſuerunt inter ſeipſos quaſi de communi conſenſu, quod dare in emptionibus poſſent, & in uenditionibus accipere. Hoc autem, & utile, & in commutationibus facile eſſe oportet, utile quidem, nam ſi utile non fuerit, non bene utile pro inutili commutabitur. Facile autem, quoniam ſi non eſſet in commutationibus facile, fruſtra nummi uſus introductus eſſet.

De pecunia, & nummo, & de eorum ſpeciebus: quibus utimur plerumq;.

ET cum pecuniarium acquirendi genus in pecuniarum, nummorum, atq; monetarum acquiſitione conſiſtat, exponamus genera primo nummorum, poſtea ſpecies eas, quibus plerumq; utimur, nam ſi omnes enumerare uellemus, eſſet nobis difficile, & non utile. Sunt igitur genera, quæ nunc uſu generico nuncupantur, pecunia, nummus moneta, & denarius. Auguſtinus libro de doctrina Chriſtiana dum totum inquit, quod

homines in terra habent,quorumcunq; domini ſunt,pecunia dicitur, quia antiqui quod habebant,in pecoribus habebant. Vlpianus libro. xlviii. ad.S. Conſul.pecuniæ uerbum inquit non ſolum numeratam pecuniam complectitur,uerum etiam omnem omnino pecuniam hoc eſt omnia corpora,nam corpora quoq; pecuniæ appellatione nemo eſt, qui ignoret,quod Hermogianus probauit etiam. At Plinius libro xxxiij pecunia inquit, ſortitur nomen a nota pecudis,quoniam antiquitus nummi effigie pecudis ſignabantur, hinc Plutarchus in publicola aſſerit in uetuſtiſſimis nommis ſignum fuiſſe ouis,ſuis, bouisq; conſpectum.Et in hunc ſenſum, Ariſto.ubiq; pecuniam χρῆμα appellat,è quo χρηματικὴ, hoc pecuniaria deducitur ars,ſiue diſciplina.Nūmus uero dicitur a νόμος, quod eſt lex,quia cum commutatione uti homines ſolerent,uſus nummi lege introductus eſt. Hac ratione nummum monetam appellauere,q nos ſigni impreſſione, uel auctoris uel precij moneat. Vnde Ariſto quinto ethicorum aſſerit nummum eſſe, qui rebus menſuram infert,ac ęſtimationem,eſtq; medius quodammodo, quo cuncta metimur, ac rerū precia in æqualium ad æqualitatem reuocamus,quia uero ex lege eſt,non natura,proinde nummi prorepſit appellatio a nomo hoc eſt lege, eſtq; (ut Ariſtoteles inquit) οἷον ἐγγυητὴς, hoc eſt tanq̄ fideiuſſor. Ante cuius inuentionem rerum fiebat permutatio, & res metiebatur indigentia.Scribunt ex græcis nōnulli quadrupedibus maxime permutationes conſtitiſſe,qua item ſit effectum ratione,ut mox inuento nummo pecudis imprimeretur nota,ſed bouis maxime.Denarius uero genus monetæ eſt, quod (ut Varro inquit) denas libras ęris ualeret. Verum propter excellentiam nummi denarij, factum eſt,ut denarius pro omni moneta intelligetur. Nam ab Ariſtotele proditum eſt, cum alibi,tum auſcultationis phyſicę tertio, omnes homines tam barbaros,q̄ gręcos priſcam ſeruaſſe conſuetudinem perpetuo ad decem uſq; numerandi.neq; enim cenſeri fortuitum debet uerum ex naturę fontibus propagatum,quod ſemper fiat,atq; item ubiq;. Pręterea denarius numeri abſolutam indicat qualitatem.Continet enim numerandi genera uniuerſa uti par,impar,quadratum,cubum,quod quadrantale dicunt,longum,planum, primum,compoſitum.Inſuper denarius fons eſt,ac principium,quippe qui ex uno,duobus, tribus,& quatuor conſtet.Nec illud reijciendum, dediſſe nobis in manum digitis eum numerum ipſam rerum naturam.Poſtremo denarii rationem continere & centenarius, & millenarius uidentur:nam & hi quoq; uniuerſi cenſentur.Quare licet denarius idem ſit,quod Drachma,tamen pro genere cuiusq; monetę eo utimur hodie. Hęc de generibus,ſpecies uero diuerſę emerſerunt,aut ex parte materię,quatenus alia eſt aurea, quę aureus dicitur. Alia autem argentea,quæ licet per uariatione ſignorum uarietur, tamen in tranſalpina gallia,qualemcunq; numerorum ſpeciem,ſimpliciter argentum uulgo appellant.Nam & Gręcis ἐξαργυρίζειν, quod Mar.Cicero exargentare tranſtulit, in pecuniam redigere ſignificat,alia ęrea,eſt autem ęs metalli ſpecies,quę apud antiquiſſimos prius in uſum q̄ ferrum uenit. Vt Heſiodi poetę carmen indicat, unde & pecunia ſolo ęre cudi cœpta eſt,hinc factum eſt,ut qualiscunq; pecunia ęris appellatione compren-

 deretur,

deretur, quod etiam Gręci ſeruarunt, qui χαλκοὺς hoc eſt as per quacunq; pecunia accęperunt. Inſuper diuerſitas ſpecierum etiam ex differentia figurarum, atq; ſignorum, colligitur. Siquidem differentia ſigni, atq; figurę pondus cognoſcitur, cuius diuerſitate diuerſę monetarum ſpecies habentur. Diuerſificantur quoq; monetę nomenclaturis, pro uaria ratione atq; uaria quibus appellantur pro arbitrio: de quibus auctores quęrantur.

De cauſis Monetarum, & de inuentoribus, & de Chalcochymia.

SEd de cauſis monetarum, ſiue pecuniarum, uel nummorum non erit infructuoſum quędam pertranſire. Sunt itaq; monetarum, quemadmodum rerum naturalium cunctarum cauſę quatuor, cauſa quidem, ut materia eſt ex qua moneta fit. Hęc uero materia quęcunq; fuerit, utilis eſſe debet: alioquin non bene pro re utili (ut ſuperius diximus) commutaretur, ceu ferrum auctore Ariſtotele & æs, & argentum, & ſiquid aliud tale fuerit, uidelicet aurum. Hęc enim ſecundum ſe utilia ſunt inquantum quidem ex eis fiunt uaſa, inſtrumenta quædam atq; ornamenta. Inſuper eſſe debet cara, atq; præcioſa, nam ſub parua quantitate magni ualoris eſſe debet. Adhuc delatu facilis, ut metalla, quę diximus, quę in parua quantitate ualent multum, potiſſimum argentum, & aurum, ſicuti etiam ad pręſens tempus procul peragraturi pro ſumptuum neceſſitate, loco ferreorum, uel ęreorum nummorum fuerunt argenteos, uel aureos, & quidem ob faciliorem delationem. Cauſa autem, ut finis eſt, ut per monetam haberi poſſint ea, quæ uictui neceſſaria ſunt per importationem & exportationem. Cum enim externo auxilio opus eſt, ea importando, quibus indigemus, atq; exportando, quibus alij procul eguerint nummi, ut diximus, uſus introductus eſt, cum ea non facile deferri poſſint. Cauſa ut forma eſt monetæ diſpoſitio & in figura, & ſigno, quibus pondus atq; menſura cognoſcuntur. Vnde Ariſtoteles de nummo loquens, primo quidem definitum inquit magnitudine, & pondere, poſtea perfectum, ſignoq; impreſſum, quo a menſuratione liberi eſſent, nam ſignum poſitum eſt ad quantitatem ſignificandam. Cauſa, ut efficiens, eſt princeps, uel res publica cuius eſt poteſtas condendi leges. Loquor de efficiente primario, non autem de fabro, qui monetam ſtruit, atq; cęlat. Etiam qui primus monetam adinuenit, ut efficiens cauſa eſt, ſicuti Phidon corinthiorum legis lator, qui fertur primus nummum percuſiſſe, ac ſignaſſe, & pondera & menſuras ad commutationum ęquitatem excogitaſſe. Legimus etiam in primis Peloponenſium nummum fuiſſe quendam ab inciſa animalis forma Chelonem, hoc eſt teſtudinem nuncupatum. Nam obolum eupolis Callichelonum appellauit, ueluti teſtudinem dicas pulchram. Hinc emanauit illud, τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νίκαντι χελῶναι, quod eſt, uirtutem ac ſapientiam teſtudo ſuperat. Aliqui ex gręcis memorię commendarunt lydos primos aureum ac argentum nummum, principes ferrendum curaſſe, percuſiſſe atq; ſignaſſe. Hermodicen ſcribunt ueterum pleriq; phrygum regis Midę uxorem, quę tum forma conſpicua, tum uero ſapientia, atq; artifici ingenio pręclara

De inuento re monetę

rio pręclara

nlo præclara ſinit, cum æis primam audiſſe nummos. In decem uirorum legibus ita le=
ctum inuenimus.

Tribuni ſunto, domi pecuniam. P. cuſtodiunto.

Vincula ſontium ſeruanto, capitalia uindicanto.

Aes, Argentum, Aurum ue publicæ ſignanto.

Sed utcunq; ſit, primus nummi inuentor cauſa, ut efficiens eſt. Ex quibus perſpicuum uidetur monetam in re ciuili non eſſe una ratione, quoniam ex parte materiæ, & formę contingit eſſe multiformem, multiſq; modis, ut commoditas ſuppetit. Cum enim mercato res interdum procul ire contingat, præcioſas monetas, multi ualoris in parua quantitate pro faciliore delatione eos ferre oportet. Pręterea in Re. P. non pro omni re opus eſt omni moneta, ſed alia atq; alia pro alia atq; alia re emenda. Hinc aliæ aureæ, argenteę aliæ, æreę, atq; miſtę pro neceſſitate ac ciuium commodo. Materiam uero monetarum nobis miniſtrat natura uim ob ſuam mineralem: per quam agit metalla, & hac ratione monetarum materiæ, aurum, argentum, & id genus ſunt. Alio modo nonnulli materiam monetarum ſubminiſtrare putant eam artem, cuius uis eſt mutare unam metalli ſpeciem in alteram, quam dicunt fuſoriam, Græci Chalcochymiam uocant. Verum inter philoſophos non parua digladiatio ſemper fuit, poſſit ne per huiuſmodi artem uerum argentum, atq; uerum aurum fieri, an ſophiſticum duntaxat. Sed cum hęc diſceptatio magis ad me teorologicos, q̃ ad ciuiles ſpectet: iccirco quo ad rem ciuilem attinet, mihi uidetur artem huiuſmodi a re ciuili, quæ bonis legibus eſt inſtituta, eſſe fugendam: primo quidem, quia moneta ipſa, (ubi per fuſores aurum, atq; argentum facile fieri poſſent,) uim ſuam amitteret, quippe quia non rara, ſed plurima fieret. Deinde in re ciuili non ea ars permittenda eſt, per quam & plurimi euadunt pauperes, & plurima falſa, atq; Sophiſtica metalla pro ueris a ciuibus recipiuntur. Finem autem monetæ nobis ſubminiſtrat, non quidem neceſſitas, nam in prima rerum origine gentes ſine moneta uixerunt, multæ etiã barbararum & nunc, ſed ipſum commodum. Introductus eſt enim monetę uſus (ut ſępe diximus) &, ut commutationes facile fiant, & ut inter longinquas gentes naturales neceſſitates ſuppleantur. Chalcochimiam

De mutationibus Monetarum, & epilogus.

NOn erit inutile de monetarum mutationibus aliqua interſerere, ubi illud primo eſt ſupponendum quinq; conſideranda eſſe in ipſa moneta, in quibus mutatio cadere poteſt. Materiam uidelicet, pondus, figuram, appellationem, & uſum. Poſtea aſſerendum eſſe arbitror mutationem ſolum iure fieri poſſe ab eo, cuius poteſtas eſt faciendi monetam. Quippe cum ab eo duntaxat interpretationem habeat. Siquis autem alius hoc facere præſumpſerit, in crimen ſubiectę iuriſditionis eum incurrere nemo dubitare debet. Verum ubi mutatio monetæ (ſiue in materia, ſiue in pondere, ſiue in ſigno, ſiue in

appellatione,

appellatione: ſiue in uſu fiat) redundauerit in. P. ciuium damnum, nec a principe, nec ab aliquo alio iure fieri poteſt. At ubi in. P. bonũ emerſerit, (ceu in multis caſibus cernimus) princeps cuius poteſtas eſt inſtituendi monetas, iure eam facere poterit. Hactenus de pecunijs, necnon & de pecuniaria, quę ratio quędam eſt acquirendi diuitias pro uitę neceſſitate pecuniarum uidelicet interuentu.

Dubitationes.

SEd cum hæc ſint explorata, dubitationes, quæ olim a ciuilibus excitantur, facile diluentur. Eſt prima utrum œconomi ex ea ratione, qua eſt œconomus ſit acquirere diuitias, an eas ſubeſſe oporteat. Deletur autem hęc dubitatio illico, ſi animaduertantur ea, quę diximus, diximus enim diſciplinas, quibus diuitias acquirit ciuis, alteram eſſe naturalem, ut paſtoralem, uenatoriam, & agriculturam: alteram eſſe partim naturalem, partim arte confectam, ut pecuniariam, quas ambas Ariſtoteles uno nomine appellat diſciplinam acquirendi domeſticam, uel familiarem: quoniam utraq; parat inſtrumentum œconomo: hoc eſt diuitias, licet (ut dictum eſt) modo quodam diuerſo. Quare perſpicuum œconomi ea ratione, qua œconomus eſt, eſſe diuitias adminiſtrare. Nam ſicuti homines non facit res publica, ſed ſuſcipiens factos a natura, eis utitur, ſic rei familiari oportet naturam alimentum præbere, aut a terra, aut a mari, aut ab aliquo alio, quod ut inſtrumentum ſubſit, ac ſubiaceat, ſed quo pacto id adminiſtrandum ſit, ad œconomum ea ratione, qua œconomus eſt, attinere uidetur. Nam textor lanas non facit, ſed eius eſt factis uti, atq; diſcernere qualis bona ſit, aptaq;, qualis autem mala atq; inepta. Quod ſi idem œconomus diuitias acquiſierit, eisq; uſus fuerit, non uno habitu hoc facit, nam habitu œconomico domum gubernat, habitu uero, qui diſciplina acquirendi domeſtica dicitur, diuitias acquirit. Sicut enim alio habitu ſutor facit calceum, & alio cytheram pulſat, ſic œconomus alio habitu rem familiarem gubernat, diuitiasq; pro neceſſitate miniſtrat, alioq; eas acquirit. Secunda uero dubitatio eſt cur acquirendi facultas neceſſaria eſt œconomo ad rem familiarem gubernãdam, medicinalis uero haud quaq̃, & plane uidetur neceſſaria. Nam ſanam oportet eſſe familiarem, ut & uictum habere. Quare ęquo iure medicum oportet eſſe œconomum, ueluti diuitiarum lucratorem. Diluit Ariſtoteles dicens quodã modo ad œconomum ſpectare ut de ſanitate prouideat, non eo modo, quo ſpectat ad medicum, ſed ea ratiome, qua attinet ad œconomum. Cuius officium eſt ſeruare familiam ſanam, uel per habitum proprium, uel per habitum alterius hominis, qui medicinalem facultatem percallet: ſicuti imperatoris eſt uincere, aut per proprias uires, aut per uires militum, quibus fretus uictoriam conſequitur.

De locis utilibus pro emptionibus, & uenditionibus: & pro acquirendis diuitijs ex rebus naturalibus.

DIximus de acquiſitiuis facultatibus generatim ea,quę attinent ad cognitionem, hoc eſt theoreticæ,nam diximus de acquiſitiuis,quæ ſunt penitus naturales, inſuper & de pecuniarijs,quę ſunt partim naturales,partim arte atq; experientia roboratę, quales,& quæ ſint.Nec ab ratione,quia cuncta,quę ſic dicuntur de acquiſitiuis methodis:contemplationem liberalem habent,quæ eſt libero homine digna.Siquidem contemplatio omnis de quauis re etiam uiliſſima,cum generatim,atq; theoreticæ agitur,libero homine digna uidetur eſſe.Sed cum pro gubernanda domo,aut ciuitate non ſufficiat, opus enim eſt neceſſaria experientia.Contemplatio enim experientiæ coniuncta ad gubernandam domum uel rem publicam optima eſt.Quare cum de ijs theoreticæ diximus,nunc loca,atq; conſiderationes aggredimur,quibus uenditiones atq; emptiones,alięq; commutationes,necnon & acquiſitiones, quę ex rebus naturalibus proficiſcuntur , facile fieri poterint.Pro emptionibus igitur atq; uenditionibus (ut Ariſtoteles monet) prima conſideratio,primusq; locus eſt inſpicere ipſas res,quæ emuntur,aut uenduntur: quales maxime utiles ſint:ut equi,aut boues,aut oues,aut porci,& id genus, dico quales maxime utiles fuerint aut ad emendum, aut ad uendendum,aut ad aliquod id genus faciendum, ut Lucio expediat.Secundus uero locus eſt animaduertere,ubi maximo uel minimo precio emantur,uel uendantur,ubi uiles,carę q; magis,minusue fuerint . Tertius autem quo tempore,aut quomodo ſecundum cæteras conditiones carius,uiliusq; emuntur, aut uenduntur:aut alijs rationibus commutantur. Ceu, ut diximus, cum equi emendi ſunt, uel uendendi,pro ſtabulo faciendo aut boues,pro armento,aut oues pro grege, aut alia animalia pro congregationibus cæteris id genus.Simili ratione oportet œconomum,ſi apes gallinas,anſeres,columbos,cęteraq; animalia,tam uolatilia q̃ natatilia gubernare uoluerit,experientia cognoſcere,quę utilitas fuerit prouentura.Deinde pro emptionibus, atq; uenditionibus agrorum oportet œconomum,qui ex fructibus eorum pecunias acquirere uult,eſſe expertum agriculturę,terręq; tam nudæ quę ſine ſtirpibus eſt, q̃ etiam conſitę quę fructiceta,uel arbuſta,uel arbores continet.Oeconomus enim ex his rerum uenalium copiam acquirit,ut tritici,uini,olei,& id genus,ex quibus multas pecunias congregare poterit. Plures aliæ conſiderationes eſſent faciendę,ſed has per exemplis ſufficere uolumus.

Enumeratio omnium acquiſitiuarum artium:& repe.itio.

SVnt igitur artes ſiue methodi,ſiue rationes acquirendi,alię omnino naturales, ut uenatoria,paſtoralis,& agricultura. Aliæ partim naturales partim translaticię , ſiue artificiarię.Vt pecuniaria,quę ex poſſeſſionibus naturalibus pecunias,quę ſunt res artificiales congregat.Et lignaria,quę ex cedua ſilua ligna,atq; tabulas,& id genus pro pecunijs accumulandis facit.Et metallica,quę ex mineris pro coadunandis pecunijs metalla ſubfodit,atq; conficit,& hæc quidem plura genera continet, quippe cum multa ſint

metallorum genera, ut aurum, & argentum, & ferrum, & id genus. Sed de ſingulis horum, quæ complectuntur huiuſmodi artes generatim dictum nunc ſit, particulatim autem atq; exacte dicere utile quidem foret, ad quęſtus ipſos, pecuniasq́; comparandas, ſed pergraue in his edocendis perſiſtere. Sed cum a quibuſdam de his ſcriptum ſit, ut a Charetide pario, et ab Apollodoro Lemnio, *a quibus eſt ſcriptum de cultu agrorum tam nudorum, q̃ conſitorum, etiam a* Hierone Attalo, Philometore, Archelao, Xenophonte, Magone, Theophraſto, Hippocrate, Diaſcoride, *inſuper & a latinis, ut a* M. Catone, Vergilio, Saſerna, Trebellio, Celſo, Grecino, Hygino, Plinio, Columella, Palladio: *ſimiliter & ab alijs de alijs artibus per quas quæſtus haberi poſſunt, hæc quidem ex his auctoribus conſideret curioſus: cui cura eſt hęc uelle ſcire.* Aliæ *uero artes ſunt, quæ dicũtur translaticię: quæ pœnitus artificiarie ſunt: dictęq́; translaticiæ, quia traſſerunt ab eo, quod eſt naturæ neceſſarium, ad id, quod requirit concupiſcentia.* Generis, *harum eſt mercatura, cuius partes ſunt nauigatio, quę commertia mercationesq́; per mare exercet.* Deuectio, *quę commertia in terra per deportationes onerum, quę carri, uel iumenta deueunt.* Et *tertia eſt negotiacio, quę nec per mare, nec per terram commertia exercet, ſed per commutationem pecunię aut rerum mercatoribus aſſiſtit.* Harum *negotiatio & ueſtio ſecuriores ſunt, cum per terram exerceantur.* Nauigatio *uero utilior, periculis tamẽ magis expoſita.* Inſuper *generis harum eſt fœneratio, & campſoria, de quibus ſtatim ſeorſum dicemus.* Adhuc *autem alia eſt mercenaria, tam quę arte perficitur, quam ſupra diſtinximus, in cardonicam, laniſicam, oleariam, & in cęteras id genus. q̃ quę ſine arte miniſtrat, ut ars fodiendi, ars arandi, & cęteræ id genus, in quibus parum, aut nihil artificij eſt, ſed pro maiore parte ipſo corpore explentur.* Qua *ratione fit, ut omnes methodi, rationesq́; acquirendi ſint, aut omnino naturales, aut omnino artificiales, aut partim natura, partim arte ſuggeſtæ.*

De acquiſitionibus, quæ fiunt per diſciplinas.

F*Iunt acquiſitiones diuitiarum per diſciplinas, quæ nec artes, nec naturę ſunt, ut per grammaticam, per dialecticam, per rhetoricam, per mathematicas omnes, per phyſicas, per metaphyſicam, per theologiam: & per id genus.* Prę*ceptores enim qui has diſcipulos docent, pecunias multas acummulare cernimus, nos enim primi a bononienſibus, a* Venetis, *ſi in eorum* Gymnaſijs *philoſophiam docere uellemus, millenarium aureorum numerum pro mercede ſingulis annis acciperemus, ſicuti a* Florentinis *accepimus,* Piſis *philoſophiam profeſſi.* Sed *quanta eſſe debet recompenſatio, an pro æſtimatione pręceptoris qui docet, an diſcipuli, qui diſcit, non eſt exploratum.* Prothagoras *cum docuiſſet ea, quę profitebatur, diſcipulum æſtimare iubebat, nam quanti ei uidebantur, tantum accipiebat.* Cauſa *autem, quia merces uiro benefacienti, non autem diſciplinę exhibitę retribuitur, non enim dignitas philoſophię, quam diſcipulum præceptor docet, poteſt*

auro, aut pecunia æſtimari, nec poteſt diſcipulus præceptori reddere par, ſicuti nec filius parentibus, nec deo. Sed ſatis eſt reddere quod poteſt, ne ingratus benefactori cenſeatur. Sic putat Ariſtoteles nono ethicorum libro, præmia præceptoribus eſſe retribuenda. Temporibus uero noſtris præceptores uendunt pacto doctrinas, modo quo mercatores res uenales, nam illi magis laude digni habentur, qui pluris profeſſiones atq; doctrinas uendunt. Rhetores orationes, nam Iſocrates uno talento unã orationem uendidit. Aſtronomi iudicia, Claudius Ptolemæus cuidam Ægyptiorum Regi uno iudicio de eius uita prolato, ditiſſimus ab illo effectum eſt. Poetę carmina, Virgilius enim ex carminibus in laudem Auguſti ſcriptis, magnis muneribus eſt decoratus. Plautus paupertate oppreſſus uendebat commedias.

De Fœnore.

QVia propoſuimus de fœnore, & campſione dicere, prius de fœnore, poſtea de campſione diſſerendũ. Fœnus itaq; ſe ipſum facit maius, unde & nomen ipſum uenit, dicitur enim τόκος, hoc eſt fœtura, uel partus pecunię. Nummi enim in fœnore a nummis pariuntur. Differt autem fœnus a fœneratione, & ab uſura, nam fœneratio eſt mutatio ad uſuram fœnus (ut diximus) partus pecunię, quę mutuebatur. Vſura uero eſt obligatio (ut Paulus inquit) ex tacito, uel manifeſto pacto, quo recipiens obligatur ultra ſortem dare præcium. Eſt autem uſura, ſiue fœnus modus acquirendi maxime contra nummi naturam. Primo quidem, quia contra uſum nummi, quo nummus eſt, nam nummi uſus, quo nummus eſt, commoda eſt rerum naturalium cum nummo commutatio. Et cum fœneratio mutatio ſit, per quam nummus ex nummo fit, erit igitur abuſus quidam nummi. Deinde quia eſt contra uſum nummorum, quo nummi diuitiæ ſunt ſaltem artificiarię. Nam nummi, quo ſunt diuitię, ſunt inſtituti ad uitę neceſſitatem, ſed cum is, qui nummis utitur, ut ex nummis nummi generentur, non ad uitę neceſſitatem utatur, uidetur contra naturam nummi facere. Quare fœneratio in re publica bonis legibus inſtituta, tanq̃ id, quod eſt contra naturam, & malum, fugendum eſt, eſt etiam fœneratio alia ratione contra naturam, quippe cum in ea, ut Ariſto. inquit, non ſeruetur finis, auget enim cupiditatem in infinitum. Omne autem infinitum eſt contra naturam. Inſuper fouet illiberalitatem tam dantis, q̃ recipientis, at illiberalitas ſicuti & omne uiciũ contra naturam eſt, ſaltem hominis, quo homo eſt. Nec ſolum eſt fugienda, ſed nullo pacto in re publica recta permittenda. Primo quidem ne fœneratoris malitia perpetuo excreſcat, neue illiberalitas in dies maiores ac maiores in ea uires aſſumat. Deinde ne prauorum hominum ditatio in dies maior ac maior euadat, inęqualitasq; diuitiarum inter ciues maius fomentum aſſumat: de pauperatis quotidie bonis uiris, qui ultra ſortem præcium dare coguntur: malis autem locupletoribus factis. Poſtremo quia permiſſa fœneratione, multæ artes a re publica tollerentur e medio, ceſſarentq; commertia, labo-

reſq; ciuiles reipublicę neceſſarij, darentq; ſe homines pro maiore parte ad ocium. quippe cum nihil ſit, quod magis ocium indicat inutile, q̃ lucrum ſine laboribus: quod ex fœne ratione proficiſcitur. Hac ratione diuinus Plato pro lege ſanxit ſexto libro de legibus *quaſi turbatus eum, qui pecunias ad uſuram accepit non teneri ultra ſortem prætium dare, nec ſi promiſerat, pactum ſeruare, etiam iuramento præſtito: cuius rei cauſam puto, quoniam ſi recipiens ultra ſortem daret, illiberalis efficeretur dando, cui ex bono moris non oportet.* Abuteretur *inſuper pecunijs, omnis autem abuſus, cum ſit contra naturã, malus eſt.* Iuramentum *quoq; præſtitum ſeruare non tenetur.* Quippe *cum nullus ex iuramento id ſeruare teneatur, quod eſt ſui natura malum, non enim promiſſio de re omni ex parte mala eſt implenda, etiam iuramento facto, nam licet iurans ex ea parte qua iurat, ſeruare rem omnino malum, peccat, ſiquidem iuramentum fatuum eſt, non tamen ſeruare tenetur, ne mali cum malo accumulatio fiat.* Adde *q; nec mendatium, nec periurium committere uidetur, alioquin in turpi uoto oporteret fidem ſeruare.* Addit *etiam* Plato *eum qui recepit, non obligatum eſſe reddere ſortem, quod in penam fœneratoris puto bene factum eſſe.* Verum Tyrannicas *ſiſa lex ad ſe ſortem accipit.* Diximus Platonis *legem eſſe intelligendam, cum is, qui pecuniam ad uſuram accepit, ſciuerit fœneratorem publicum eſſe infamem.* Nam *ubi eum bonum eſſe crediderit, mutuaſſeq; pecuniã ob recipientis commiſerationem, non peccabit recipiens, ſi aliquid ultra ſortem retribuerit, ut remunerator beneficij accepti.* Non *autem ut obligatus pro fœnore.* Moſes *uero conceſſit iudæis fœnerari cum extraneis, non autem cum fratribus.* Ariſto. *autem &* Plato, *qui omnes homines propinquos eſſe putant, fœnus a rebus humanis omnino fugarunt.* Propterea *quia ubiq;, atq; cum omnibus ſeruanda eſt liberali as, abuſusq; (cum ſit contra naturam) fugiendus.* Quare *iuniores aſſerunt in ueteri lege uſuram eſſe permiſſam cum extraneis, non quę proprie uſura dicitur ſed quæ metaphoricæ, ut puta in recompenſationem damni, quod iudæi in ea regione ab Ægyptijs paſſi erant.* Aut *in locationem pecunię, quę metaphorica uſura eſt.* Sunt *qui concedunt pro laboribus, quos interdum fœneratores ferunt in pecunijs mutuandis, poſſe eos non nihil pręmij accipere: ut ſi in mutuationibus acciderit procul pecunias efferre.* Verum *exactiorem indagationem uiris ſacris derelinquimus.*

De Campſione.

*E*St *inſuper alia mutatio, quę camptio dicitur, a uerbo cambio deducta, quod commutare ſignificat, ab hoc quoq; campſores dicti ſunt illi, qui uulgo trapezitę appellantur.* Nec *ab ratione, nam trapeza menſa eſt, qua argentarij utuntur, inde trapezitę pecuniarum campſores ſunt.* Eſt *autẽ campſoria mutatio multiplex, una in qua campſor plus recipit, q̃ dat.* Et *hæc ſi fiat pro neceſſitate atq; ad.* P. *bonum, lege cauenda non eſt.* Sed *ſi in priuatum bonum, atq;.* P. *damnum agatur, auctore* Platone, *non eſt permit-*

enda.Potiſſimum cum per eam homo inſatiabilis,ut Seneca inquit, reddatur . Alia eſt
in qua minus q̃ dat,recipit,& hęc ſi ab ignoratione proficiſcatur, non erit mala . Si ex
malitia,ut uidelicet campſor pauper euadat in heredum damnum, qui ei ſuccesſſuri ſunt,
mala eſt,cum nihil fieri debeat in pręiudicium alterius. At ſi fiat ex ſcientia , ut puta ad
ſubſidium pauperum,campſor meretur.Tertia deniq; eſt, in qua campſor quantum dat,
recipit,& hęc ſi non redundauerit in pręiudicium boni. P. eſt tum bona,tum laude di
gna quibus perſpicuum campſionem,iure fieri poſſe de una regione in alteram,ſiue fiat
cum accremento,ſiue cum decremento ,ſiue ex ęquo,modo nec in. P. damnum,& pri-
uatum bonum,nec in præiudicium alicuius adminiſtretur.

De quæſtibus laude dignis,deq́; uilibus. Atq; de diuitijs nouis & antiquis.

POſt de quæſtibus diſſerendum,ſunt enim non una ratione proficiſcentes . Nam
alij ſunt artificioſiſſimi,in quibus minimum fortunę eſt, id enim a fortuna fieri
exiſtimamus,quod fit præter rationem,in qua ars conſiſtit,eſt enim ars recta ratio fa-
ciendorum.Quare ubi plurimum artis eſt ibi quoq; rationis plurimum eſt , ubi rationis
plurimum,minimum fortunę habebitur. Quare euenit,ut quęſtus , qui multum fortunæ
ſubiacent,parum artis continebunt. Veluti quęſtus ex piſcatione,& uenatione,contra
uero quęſtus,qui parum fortunæ ſubſternuntur,artis plus habere uidentur:ut qui ex fa
brilibus artibus,atq; picturis proueniunt.Quęſtus uero ſordidiſſimi ſunt,in quibus cor-
pora maxime inquinantur,atq; maculantur,ſicuti qui ex coquis, & ab ijs , qui plateas
purgant,contingunt.Contra uero illuſtres,in quibus corpora ad laudem attolluntur: ut
qui ex militia accidunt.Quęſtus ſeruiles ſunt,in quibus longe magis corporis, q̃ animi
uſu aguntur:ſicuti qui a deportandis oneribus,& a curſoribus , & a cæteris id genus
exiguntur. Contra uero liberi,in quibus rationis uſus maior cernitur ut in docendis di-
ſcipulis.Ignobiles deniq; ſunt,in quibus longe magis corporis q̃ animi uirtute habentur.
ut qui ex macellaria,cauponaria,& cęteris id genus. At nobiles,in quibus longe magis
animi,q̃ corporis uirtus emicat: ut quæſtus,qui ex doctrinis colliguntur.Ex ijs licet de
ducere omnes quæſtus,qui ex quibuſuis artibus proficiſcuntur,habere non nihil ſordidi,
non nihil ſeruilis,non nihil ignobilis.Nam nulla ars ex ea parte qua eſt ars, eſt mercen-
naria,ſed ex ea parte qua quibuſdam laboribus expletur,medicinalis enim & militaris
finis non eſt lucrum,ſed illius quidem ſanitas,huius uero uictoria.Et ideo(ut ſuperius di
ximus)qui utitur arte ad lucrum,contra naturam artis agit,omne autem contra naturã
eſt malum.Quare artifex ſi arte abuti non uoluerit,opus eſt,ut ea utatur ad lucrum ,
quatenus per labores artis opus implet.Merces igitur non arti, ſed artifici laboranti exi
betur.Qui uero pro laboribus mercedem accipit,mercennarius eſt,& ſordidus,& uilis,
& ſeruilis.Propterea recte Ariſtoteles autumat diuitias, (niſi fuerint antiquę , diuq;
ſeruatę,non nouæ) non eſſe tertiam nobilitatem,ut poſtea diſputabimus.quippe cum no

 uę ſorditię

ue ſorditię omninò non careant, antiquę uero omni ex parte ſorde uacant. Vnde Ariſtoteles ſecundo Rhetoricorum libro, ſordidiores ſunt nuper ditati, q̃ qui ab antiquo ditati ſunt. Debes igitur fili Opes, quas tibi ſum derelicturus, omni diligentia ſeruare, ſic omni ſorde uacabis, atq; ſumma ingenuitate dilucebis. Quod ſi ammiſeris, poſtea uero repetere uolueris (ſicuti faciunt imprudẽtes) duplici culpa inquinaberis, ſtultitia, qua ſeruare ignoraueras, & ſorditię, ſine qua nemo quęſtus eſt conſecuturus.

Quod diuitię non debeant eſſe infinitę.

SVper eſt nunc diſſerere de menſura diuitiarum, quantę, quotue eſſe debeant, habet enim res hæc non paruam dubitationem. Loquor autem de diuitijs indifferenter, diximus enim diuitias alias eſſe naturales, quas nobis natura miniſtrat, alias autem arte inuentas, ut ſunt pecunię, quas ars inuenit propter commodum: ut commutationes facile
Solon. fierent. De omnibus igitur non parua ambiguitas eſt infinitæ ne ſint, an finitę. Solon Poetico more dicit, diuitiarum nullus finis hominibus pręfinitus ponitur. Conſona autẽ uidetur hæc Solonis opinio naturali hominum inclinationi, atq; natiuo appetitui, quo homines natiuo appetitu diuitias appetunt, non tot, nec tantas, quin plures, atq; atq; maiores in infinitum. Qua ratione fit, ut nullus ſit diuitiarum terminus: nullusq; conſtitutus finis quemadmodum nec appetitionibus. Inſuper nos uidemus diuitias eſſe infinitas, quæ ab ipſa pecuniaria atq; nummularia ſunt, ut enim medicinalis facultas ſanationis in infinitum eſt. Medicinalis enim ſemper in infinitũ ſanare appetit, ſemperq; ſanare enititur, ſic enim unaqueq; ars ſui finis in infinitum eſt. Quoniam illum quem intendunt finem, facere q̃ maxime uolunt. quippe cum in eo ſemper eſſe uelint, & q̃ maxime ipſum augere. Vnde Syllogiſmus eſt, cuiuslibet artis finis eſt infinitus, diuitiarum acquiſitio eſt nummulariæ atq; pecuniariæ finis. Ergo diuitiarum ipſa acquiſitio infinita erit. Ariſtoteles uero, & Plato nec ad bene beateq; uiuendum, nec ad ſimpliciter uiuendum uolunt diuitias eſſe infinitas. Quod quidem non ad bene, beateq; uiuendum, Plato quinto libro de legibus ſatis probauit, ubi concludens dicit, recte itaq; ſeruio noſter aſſerit ualde diuites bonos uiros non eſſe, qui ſi boni non fuerint, fœlices quoq; non erunt: quod Ariſtoteles etiam libro politicorũ confirmat, cum o inquit ſufficientia huiuſmodi acquiſitionis ad bonam uitam non infinita eſt. Vnde Dion plutonem diuitiarum Deum putabant, cecumq; hunc pingebant, nec in merito, Cęcus enim eſt qui diuitijs ſtudet. Quod autem non ad ſimpliciter uiuendum eodem loco probauit Ariſtoteles per quandam ſimilitudinem ex alijs artibus, quoniam nullius artis, cuius opus finitum eſt, inſtrumentum eſt infinitum, nec magnitudine, nec multitudine, maleus enim qui artis fabrilis inſtrumentum eſt, nec magnitudine, nec multitudine eſt infinitus. Cum igitur œconomica ars ſit, cuius opus eſt gubernatio domus & ad bene, beateq; uiuendum, & ad ſimpliciter uiuendum, quod eſt finitum. Diuitię autem inſtrumentum eius, quo

illud

illud opus perficit: fit ut nec magnitudine, nec multitudine oporteat eſſe infinitas. obiecta uero diluuntur, nam acquiſitio diuitiarum atq; pecuniarum comparari poteſt ad eas artes, quæ huiuſmodi acquiſitionem, ut finem intendunt, & hoc pacto eſt infinita, quippe cum nulla ars (ut diximus) ceſſet a ſuo fine, ſed eum q̃maxime uult. Medicus enim non ceſſat ab ipſa ſanatione, ſed ſemper, & q̃maxime uult ſanare. Militaris etiam non ceſſat ab ipſa uictoria, ſed ſemper, atq; q̃maxime uult uincere. At ſi diuitiæ comparentur ad ipſam œconomicam, cuius eſt inſtrumentum, quo utitur ad ſuum finem, ſic diuitiæ erunt finitæ, ſaltem in eum finem, in quem ſunt ordinatę. fruſtra enim eſſet diuitiarum acquiſitio in finem inſtituta, ſi nunq̃ ceſſaret. nam ſi nunq̃ ceſſaret, nunq̃ finis acquireretur, in quem inſtituta eſt. & ita fruſtra ordinaretur. per hęc alia obiectio diluitur, nam diuitiarum acquiſitio, cum conſideratur, ut finis pecuniarię, uel nummularię, uel cuiuſcunq; acquiſitiuę, infinito appetitu eſt appetibilis. nam (ut diximus) unaquęq; ars finem ſuum in infinitum uult, & appetit. cum uero conſideratur ut inſtrumentum œconomicę, quo ipſe œconomus opus ſuum perficit, appetitu finito appetitur: atq; deſideratur.

Quam ob cauſam œconomus infinitas diuitias quærit: & ſi finitis ſemper utatur.

SEd illud non ſine ammiratione eſt, cur œconomus infinitas diuitias quęrat, cum ſemper finitis utatur. uerum Ariſtoteles uir ingenio elatus, cauſam aſſignat ex eo, quia ſtudium œconomi non eſt ſemper ut bene uiuat, ſed ut uiuat quouis modo concupiſcit. ſi enim bene uiuere eniteretur, ſecundum uirtutes eſſet eius uita: cuius autem uita eſt ſecundum uirtutes, ijs ſolis eſſet contentus diuitijs, quæ naturam dumtaxat ſubſtentare poſſunt, ſed quoniam pretermiſſa uita ſecundum uirtutes, uiuere elaborant ſecundũ concupiſcentias, ideo acquirere ea enituntur, quibus concupiſcentijs, indulgeant. Sed cum œconimi concupiſcentiæ ſint infinite, potiſſimum cum appetitum recta ratione non refrenauerit, eas diuitias compiſcet, per quas ſuis infinitis concupiſcentijs ſatisfacere poſſit, qua ratione fit, ut quęrat diuitias infinitas unde Epycurus ad Pytocleã, ſi uis inquit, pytoclea te diuitem facere, non pecunię adijciendum: ſed cupiditatibus detrahendum. Sed his occurres, nam ſuperius dictum eſt œconomum non appetere diuitias, niſi, ut inſtrumentum ad ſuum finem, quare cum ſemper diuitias referat in finem, diuitias ſemper finitas appetere cogitur. Hoc autem diluitur ex eo, quia qui diuitias ob concupiſcentias appetit, non ob unum conſtitutum finem eas uult. Sed propter infinitos, qui omni die nuper emergunt. At cum dictum eſt diuitias eſſe finitas, quę appetuntur ab œconomo, hoc uerũ eſſe nemo dubitat, modo nõ ſurgat de nouo alius, atq; alius finis: qui pro numero cõcupiſcentiarum, quæ ſunt infinitę, in infinitum multiplex euadit. Qua ratione nõ imperite Seneca aſſerit appetitum, quo œconomus infinitas quærit diuitias, ex falſa opinione naſci. naturalia enim inquit deſideria finita ſunt, ex falſa opinione naſcentia, ubi deſi-

Dubitatio.

nant, non habent. nullus enim terminus falſo eſt. Ad hęc Epicuri illud ſpectare, & nõ latere arbitror, ſi ad naturam uiues, nunq̃ eris pauper, ſi ad opinionem, nunq̃ diues. exiguum natura deſiderat, opinio in menſum, unde Ariſtoteles primo politicorum loquens de ijs, qui uulgi opinione bene uiuere ſtudent, ſcribit. omnem eorum curam eſſe in acquirendo, non enim (ut inquit) fieri poteſt, ut aliquis per omnem numerum uiuat ſecundum uirtutem, qui in acquirendo omnem curam adhibeat. Surgunt enim appetitus in œconomo non pro natura, ſed pro opinione uulgi: ut Seneca inquit, nam breuiſſima ad diuitias per contemptum diuitiarum uia eſt. ob hanc cauſam Ariſtoteles deridens Sardanapalum gloriantem ſe omnes libidinum uoluptates ſecum abſtuliſſe, ſæpius inquit reliquit cauſas pœnitendi, q̃ recordandi.

De menſura diuitiarum opiniones.

CVm itaq; probatũ ſit finitas oportere eſſe diuitias, reſtat nũc nobis ut mẽſurã definiremus. nõ enim eſt res ꝑtractatu facilis. Marcus Craſſus (Auctore Cicerone) negabat ullam ſatis magnam pecuniam eſſe ei, qui in re. P. princeps uellet eſſe, cuius fructus exercitum alere non poſſent. Sed hęc menſura uana eſt, quĩa ſi loquatur de menſura, qua, princeps debet eſſe diues, ut ait Plutarchus in Craſſo, male ſentit. nam (teſte Archidamo) nulla menſura exercitus nutritur. At ſi loquitur de menſura, qua ciuis diues eſſe debeat, etiam non recte ait, nam (ut Plato in rep. inquit, nec extrema in aliquibus ciuium inopia ſit, nec ingentes diuitiæ. Cicero libro primo de officiis hãc definitionem facere uidetur, quod triplex ſit cupiditas, altera, quæ a natura, naturaliq; ratione naſcitur, & hæc paucis minimisq; contenta eſt, nec quicquam, niſi maxime neceſſariũ appetit. Altera quæ proficiſcitur ab affectibus, parumq; ordinato appetitu, & hæc uoluptates quęrit, & ſuperflua ſectatur. eſt & tercia, quam animi altitudo, & laudis deſiderium gignit. & hęc opes appetit, ut beneficere multis poſſit, & multos ſibi amicos, atq; clientes comparet. Qua ratione euenit, ut menſura diuitiarum non ſit una ratio

Creantor. *ne, quemadmodum nec cupiditas eſt una ratione. Creantor uiuendi ſtudium in quatuor partes diſſecuit. dabatq; primam partem uirtutibus, eſt enim uirtus inter prima animi bona. Secundam uero honeſtis uoluptatibus. animus enim qui uirtutibus ſe prębet, niſi honeſtis uoluptatibus relaxetur, agreſtis euadit. dicit honeſtis uoluptatibus, quoniam (ut Cicero libro primo officiorum inquit,) cum relaxare animos uoluerint, caueant intemperantiam. Tertiam acquirendis diuitijs tribuendam eſſe cenſuit: & quidem non ad luxuriam, ſed ad uirtutum ſubſidium, & ad uoluptatum poſſibilitatem. ultimam ſtudij partem ſanitati dandam eſſe probauit, quippe cum ſine ſanitate, nec uirtus agi, nec uoluptas perfici, nec diuitię comparari poſſint. uerum ex hiſce nihil explorati, nihilq; certi de diuitiarum menſura habemus.*

Opinio Ariſtotelis de menſura diuitiarum: & de optimis ciuibus.

ARiſtoteles uero libro quarto politicorum potius ad ciuilem uitam, q̄ ad contemplatiuam animaduertens, ciues in tres partes diſtinguit, nam alij inquit diuitijs admodum excellunt, Alij paupertate nimia premuntur, Alij ſunt inter hos medij. Deinde probauit mediocrem bonorum fortunæ poſſeſſionem optimam eſſe exiſtimandam. primo quidem quia, ut in animi bonis mediocritas eſt optima, ſic & in cæteris: In forma uidelicet uiribus, nobilitate, diuitijs, amicis, delitijs ex huiuſmodi reliquis, mediocritas commendatur. quippe cum exceſſus ſuperbiam, contemptum, paritatiq́; impa ientiam pariat. Defectus uero ad fraudes, nequitias, iniurias, inuidentias & inimicitias pellat, deiectos compluſculos, ſeruilesq́; reddat, & ad magiſtratus gerendos ineptos. Deinde qui in diuitijs potentijsq́; excedunt, nec imperium cuiuſq̄ pati uolunt, nec ſciunt. Et hoc ſtatim eis natis domi ineſt. nam ob delitias quibus educantur ne in ſcholis quidem obedire doctoribus conſueuerunt. non conſueti uero parere a pueritia, minime ætate prouecti parere poterunt. qui uero eorum ſunt nimia indigentia conſtituti, deiecto nimium animo, uiles exiſtunt. ex quo fit, ut alij magiſtratum gerere neſciant, ſed ad parēdum ſeruiliter ſint apti. Alij ſibi imperari nullo modo patiantur, ſed ipſi alijs tanq̄ domini uolunt imperare. inſuper ciuitas ex paribus ac ſimilibus uult eſſe, quantum fieri poteſt. hoc autem maxime cernimus in medijs. Ad hęc mediocres in ciuitate maxime conſeruantur, neq; enim aliena concupiſcunt, ut faciunt pauperes. neq; eorum bona capiuntur ab alijs, ut diuitibus accidit. Inſuper quia nec inſidiantur alijs, nec alij ipſis, ſine periculo uiuunt. Quapropter bene optauit Phocylides mediocribus optima multa, mediocris eſſe uolens in ciuitate. Signum uero rei huius eſt, quoniam qui optimi fuerunt, ex mediocribus ciuibus fuere. Nam & Solon (ut apparet ex eius carminibus) huiusmodi fuit. & Lycurgus (nō enim erat Rex) & Charondas & aliorum plurimi. decimo uero ethicorum Ariſto. Solon uiam inquit bene fortaſſe de felicibus ſenſit, qui eos felices dixit, qui mediocriter res habuerunt externas, modeſteq́; uixerunt. fieri enim poteſt; ut mediocria poſſidentes, agant ea, quæ agere oportet. Inſuper Anaxagoras neq; locupletem, neq; potentem felicem ipſum exiſtimat, cum ſe non mirari inquit, ſi abſurdus quidem multitudini uideatur, nam multitudo ſolum res externas agnoſcens, ab his duntaxat iudicium ferre ſolet. Photiō Athenienſis bonorum mediocritate contentus contempſit centum talenta ab Photion. *Alexandro in donum miſſa. ſpreuit etiam ſeptuaginta, quæ Arpalus obtulit, ut ipſum corrūperet, ad ſuiq; uotum traheret. Cum Menillo magnam auri quantitatem offerēti Photion accipere denegaſſet, rogatus ab eodem, ut concederet Photioni filio accipere reſpondiſſe fertur, nec id eſſe opus, nam ſi uitam modeſtam ducet quę mihi ad uiuendum ſuffecerunt, ei quoq; ſatis erunt. Si uitioſam cum prodigalitate, ac luxuria, nec hęc, nec mea, nec longe plura ſufficere credendum eſt. uerum hęc mediocritas (ut Theophraſtus inquit) non ad uniuerſum referenda eſt, ſed ad eam ciuitatem, cuius ciuis quiſq; eſt.*

nam

nam & in ea uiuit, & in ea optimus eſſe debet. Ex ijs perſpicua eſt diuitiarum menſura, non enim eſſe debet tam magna, neq; tam parua, ut ciuem e mediocritate tollat, & ad extremum conſtituat. nam ſic ab optimo ſtatu ciuis deponetur. hanc partem Iuuenalis probat, cum inquit, menſura tamen, quæ ſufficiat cenſus, ſiquis me conſulat, edam, in quan tum ſitis, atq; fames, & frigora poſcunt.

Opinio Stoicorum de diuitijs & utrum ſint bonæ.

SEd digladiatio fuit apud philoſophos ſint ne diuitiæ bonæ, an malæ? Poſſidonius diuitias eſſe malorum cauſas dicebat, & ob id nequaq̃ bonas. Stoici uero externas res, ut diuitias neutra eſſe aſſerebant, q̃ neq; proſint, neq; obſint. deinde quia quod bene uti, & male poſſumus, id bonum non eſt. diuitijs bene, & male uti poſſumus. non ſunt igitur bonæ diuitiæ. Ariſtoteles uero ſecundo Libro elenchorum, diuitiæ inquit ſimpliciter ſunt bonæ, ſed inſipienti, & non recte utenti non ſunt bonæ. Vnde Diogenes diuitem indoctum ouem inaurati uelleris eſſe dicebat. Sed quo nam modo ſint ſimpliciter bonæ, aperiamus. non enim ſunt bonum honeſtum: nec bonum delectabile, nam hæc, ut finis, eliguntur. Diuitiæ autem ut inſtrumentum ad finem. Quare diuitiæ ſimpliciter, atq; per ſe bonum ſunt utile (loquor autem de naturalibus,) natura enim eas fecit ad bonum hominis. & quod ad bonum hominis a natura factum eſt, uidetur & eſt ſuapte natura bonum, & utile. Nec turbetur quiſpiam, q̃ eis utamur aliquando ad malum, quoniam rebus naturalibus, quæ ſunt ſimpliciter, atq; per ſe bonæ, perſæpe ad malum utimur. ut ſtellis, herbis, cæteriſq; id genus. Et cum diuitiæ ſint bonum utile, uideamus, quibus ſunt utiles. non enim eſt hoc exploratum. Ariſtoteles itaq; decimo ethicorum diuitias utiles eſſe tradit, ad ſubſidium hominis fœlicis, nam cum fœlix debeat eſſe homo uiuens, & ſanus, & longæuus, Inſuper ueſtibus, famulis, atq; cæteris id genus munitus, diuitē eſſe oportet. Sine enim bonis externis fœlix, nec uiuens, nec ſanus, nec longæuus, nec munitus eſſe poterit. Sũt inſuper bonæ inſtrumẽtali quadã ratione, quatenus fœlix p̃ diuitias exercere poteſt plurima uirtutũ opera. ut magnificentiæ, liberalitatis, fortitudinis, iuſticiæ, temperantiæ, & cæterarum id genus. Vnde Cicero diuitias belli ſubſidia, & pacis ornamenta eſſe affirmat. quod ideo uerum dici, quia per eas fortitudinis opus agitur, & cæterarum uirtutum ornamenta explentur.

Quomodo Diuitiæ ſint nobilitas, & honorabiles.

CVm uero eo libro, quem de uiro nobili ſcripſimus, plura de nobilitate dixerimus, non opus eſt ad præſens de diuitiarum nobilitate dilatare fimbrias. Illud uero repetitione dignum puto ex quatuor nobilitatis ſiue ſpeciebus, ſiue gradibus, duas tantũ eſſe nobilitates formaliter, (Sic hodie loquũtur logici:) Diſciplinã uidelicet et uirtutẽ.

Duas eſſe per attributionem ad has, diuitias ſcilicet & genus. nam diuitię, cum fuerint antiquę, diuq́; per manus plurimorum ſeruatę, ſunt & ſignum, & cauſę nobilitatis. Signum quidem, quia per eas ſignificare poterimus non fuiſſe rapinis, fœnoribus, ſordidisq́; diſciplinis cumulatas, ſed uirtute, aut diſciplina: ſi enim flagicioſis modis olim congregatę eſſent, non tam diu perduraſſent, quippe cum malis acquiſitis uix primus gaudeat heres. Prǫterea diu ſeruatę nihil ſordidi habent. nouæ enim (ut ſuperius diximus auctore Ariſtotele ſecundo rhetoricorum) ſemper non nihil mercennarij, atq; ſordidi habere cenſentur. Qua ratione fit, ut antiquę diuq́; ſeruatę nobilitas ſint, quatenus ſignũ ſunt nobilitatis maiorum modo quo excrementa ſunt ſana, quia ſani corporis ſunt ſigna. ſunt inſuper cauſæ, non quidem effectrices, ſed inſtrumentarię, primo quidem, quia ſunt uitę atq; ſanitatis ſubſidia, ſine qua nec diſciplina, nec uirtus eſt. œconomus enim diuitijs utitur pro ſua, ſuorumq́; familiarium ſalute. deinde, quia ſunt inſtrumenta, quibus ciuis exercet plura (ut diximus) uirtutũ opera: multisq́; benefacit, multosq́; amicos, atq; clientes comparat, quibus etiam ſibi adijcere poteſt, quęcunq; ad contemplandum erunt neceſſaria: ut famulos, ueſtimenta, libros, cęteraq́; id genus. ad quę Ariſtoteles animaduertens in libris topicorum, tradit eſſe prius ditandum indigenti, & poſtea philoſophię uacandum. ſunt inſuper (ut Cicero inquit) ornamentum eorum, qui in pace uiuunt. Quare ſicuti cibus, atq; potus ſunt ſani, quia cauſæ ſunt ſanitatis, ſic diuitię erunt nobilitas, quia ſunt inſtrumentarię cauſę, quibus nobiles nobilitatis opera exercent: quibusq́; ſubſiſtunt ad nobiliter agendum quibus quoq; ſibi comparant cuncta, quę neceſſaria ſunt ad contemplandum, atq; beate uiuendum. Quod autem diuitię ſemper, ut nobilitas habitę ſint, ex eo perſpicuum eſt, quia ſemper fuerunt honorabiles. nec ab re quidem, nã honor eſt ſignum reuerentię (ut Ariſtoteles inquit primo rhetoricorum) alicui exhibitum propter potentiam beneſactiuam, qua uel benefacit, uel benefecit uel poteſt benefacere. Et quoniam per diuitias potiſſimum exiſtimatur unusquiſq; poſſe benefacere, hac ratione & diuitiæ, & diuites ſemper fuerunt honorabiles. honorabile autem omne, nobile eſt. nihil enim in ſe honore dignum putatur, quod in ſe non habeat nobilitatem honore dignam. Quare cum diuites ob diuitias honorentur, diuitias nobilitatem eſſe putare oportet: Sunt inſuper honorabiles ob ſufficientiam, nam nemo ſibi ſufficit, niſi diues. ſufficiens autem omnis perfectus eſt, omne autem perfectum, bonum & honorabile eſt. quare cum ſufficientia per diuitias habeatur, erunt diuitię nimirum ſummo honore dignæ. De genere autem, deq́; alijs nobilitatibus ſatis eo libro dictum eſt.

Ad eum, qui in contemplatione, bene beateq́; uixerit, longe pauciores, atq; minores q̃ mediocres, diuitię neceſſarię ſunt.

SEd cum dictum ſit mediocres diuitias eſſe optimas, mediocresq́; diues optimos, intelleximus (ut Ariſtoteles inquit libro quarto politicorum) ad uiuendum in ciui-

tate ſecundum optimum ſtatum. nam ad eum, qui,ut deus,in contemplatione bene,beateq; uixerit,lõge pauciores atq; minores(ut Ariſtoteles inquit decimo libro ethicorum). q̃ mediocres, diuitiæ neceſſariç ſunt. hoc autem non erit obſcurum, ſi fuerit perſpicuum quis ille fuerit,qui in contemplatione uiuit. Quare dicamus ſecundum peripateticos eum in contemplatione bene, beateq; uiuere qui in ſolitudine uitam degit contemplatiuam. hic autem licet bifariam reperiri poſſit ſecundum peripateticos,tamen eum intelligimus quem Ariſto. decimo ethicorum dilucide explicauit. hic enim eſt ille, qui licet ſit numinum,rerumq; naturalium contemplationi nimis ſatis coniunctus: non tamen adeo (ut neq; alimentis, neq; ueſtibus,ne q; ſeruis,ne q; cçteris uitç neceſſarijs indigeat. uerum cum non in ciuili uita uiuat, ei non tot diuitijs opus eſt. In libris autem Ariſtotelis,aut Platonis numerum ſeruorum,uel ueſtimentorum,aut neceſſariorum menſuram non legimus. hoc autem non dubito,bona,quç diuino huic homini neceſſaria ſunt, eſſe longe pauciora eis, quç optimo ciui ſufficiunt. Cauſa autem,quia huic non opus eſt uirtutes ineſſe ex actionibus honeſtis generatas. ſed aut per diuinam diſpoſitionem,quç ex principijs geniturç proficiſcitur: aut per electionem,quç in generatione uirtutis eſt principale ſecundum Ariſtotelem. poteſt enim quiſpiam per doctrinam eligendo, cuiuslibet uirtutis actum exercere, etiam ſi nunquam uirtutis actum exercuerit. nec iniuria quippe, nam ex crebris perſuaſiuis actibus, poteſt aliquis bonç naturç uir ad uſum uirtutum habiliſſimus reddi. frequens enim perſuaſio, (qua ille ſibi ex doctrina perſuadet ad bene agendum,) habitum quendam efficere poteſt in appetitu,quo nihil agat,niſi quod ratio agendũ eſſe perſuaſerit. qua e re fiet huiuſmodi uir omni uirtute prçditus,etiam ſi nunq̃ uirtutem exercuerit. cui autem uirtus ineſt per electionem,hic poteſt eſſe fortis,iuſtus,magnanimus, temperans,modeſtus,omniq; alia uirtute prçditus,& ſi nunq̃ eis exercuerit, aut exercebit. ei autem qui hoc pacto uirtute prçditus eſt,non opus eſt habere diuitias, hoc modo Irus,Socrates, Anaxagoras, Photion, Diogenes fuerunt liberales ſine diuitijs, temperantes ſine abſtinentijs,Magnifici ſine ſumptibus, fortes ſine armis. nam per electionem omnia contempſerunt, ſolamq; uirtutem complectentes. De huiuſmodi ſolitario, ſcripſimus plurima in commentarijs politicis,quç uiſa ſunt nobis eſſe prçtermittenda ad prçſens, ſed illud duntaxat pro explorato eſt tibi fili colligendum, poſſe eſſe felicem tam in contemplatiua q̃ in actiua uita, aut cum mediocritate, aut exiguitate bonorum: & quidem longe facilius,atq; tutius,q̃ cum exceſſit.

Exempla eorum, qu cum exilibus diuitijs illuſtrem uitam duxerunt.

SEd quoniam exempla longe magis perſuadere ſolent, q̃ argumenta.Iccirco exempla eorum illuſtrium ſubiungimus,qui cum exilibus diuitijs celebrem uitam duxerunt ut intelliges fili fieri poſſe beatam uitam ſine diuitiarum affluentia. Ex ijs itaq; fuit Sextus Aelius Catus uir illuſtris, pauper tamen,quẽ cum legati Aetholorum uaſis

Sextus Aelius

fictilibus

ſictilibus prandentem reperiſſent, eidem uaſa argentea miſerunt, quæ tamen recuſauit: neq; aliud argentum ad extremum uitæ diem habuit q̃ duo pocula a.L. Paulo ſocero ſuo accepta. & inſuper Crates Thebanus, qui non paruum auri, & argenti cumulum proiecit in mare, quo melius philoſopharetur; exiſtimans multitudinem diuitiarum eſſe ei impedimento, qui uirtutibus omni ex parte ſe præbet. inter hos illuſtres fuit etiam M.Curius, quem rapas in Foci torrentem quum legati ſamnitum reperiſſent, eiq; multum obtuliſſent auri, malo inquit hæc in ſictilibus meis comeſſe, & aurum habentibus imperare. Democritus (ut libere philoſopharetur) agros ſuos reliquit, eosq; paſcua pub. fieri paſſus eſt. Cimon dux Athenienſis ſpolia uictis hoſtibus erepta ſuis ciuibus partitus eſt, ne multitudine bonorum inebriaretur. Horatius Miſellis diuitiis uſus eſt, uirtute autem illuſtriſſimus. P. Aemilius præclarus fortitudine fuit, (nam de Liguribus & Perſeo Macedoniæ rege triumphauit) diuitijs tamen tenuiſſimus. Meneuius etiam in armis illuſtris fuit. (de ſabinis enim triumphauit) paupertate tamen laborauit, nam cum moreretur, ſepeliri nequerat, niſi collatis a populo quadrantibus. Ariſtides qui rem. P. Athenienſium clariſſime adminiſtrauit, illuſtriſſimus fuit, pauper tamen adeo, ut eius funeri ſumptus defuerit. Epaminundæ Thebanorum principi, & totius græciæ, unicum fuit indumentum rude, atq; pertritum, quod ſi quando expurgandum fulloni traderet, alterius ueſtis inopia domi interim ſe continebat, nihilominus tamen in tanta paupertate magnam uim auri, quam perſarum rex offerebat, recuſauit ultro. Aglaus Pſophidius in anguſtiſſimo Arcadiæ angulo conſenuit exili contentus prædio, quo nunq̃ egreſſus eſt. hunc tamen Apollo in tanta paupertate felicem teſtatus eſt. Lucillius noſter ciuis aruncanus poeta illuſtris, exilibus diuitijs uixit, adeo ut a neapolitanis. P. funere ſepelliretur. Seruilius Iſauricus, qui militibus inſignia munera recuſauit, quos proconſul debellauerat, exilibus diuitijs functus funere. P. elatus eſt. Anacreon poeta poſtq̃ a Polycrate Tyranno quinq; talentorum acceperat munus, inſomnes duas egit noctes in cogitatione ſollicitus, reddidit ea, dicens nõ tanti ea eſſe, ut tanta cura eſſent ſollicitandus. Scipionis filiæ ex ærario. P. dotem receperunt. Qui tamen illuſtriſſimi fuit. Meamenes Lacedæmonius rogante aliquo cur a Meſſenijs munera nõ accepiſſet, quia ſi accepiſſem, inquit, cum legibus pacem componere nequirem: qui tamen optimam uitam duxit. Poſſem fili ſexcenta alia exempla afferre, quibus aperte poteris & cognoſcere felicem, & optimam uitam tam in mediocribus, q̃ in exilioribus diuitijs fieri poſſe. & intelligere ea, quæ tibi relicturus ſum, (ſi uitã non ad luxuriã, ſed ad modeſtiam duxeris) plura eſſe, q̃ deſideras, ad luxum autem atq; immodeſtiam longe plura ac maiora etiam illa Crœſi, non ſufficere.

Finis.

Niphani ſexto Auguſti. M. D. XXXI.

I ij EIVSDEM

Crates

M.Curius

Democritus

Cimon

EIUSDEM AUGUSTI-
NI NIPHI MEDICIS PHILOSOPHI
*Sueſſani liber de ijs, qui apte poſſunt in ſolitudine ui-
uere ad Auguſtinum Paſtineum Periſonenſem.*

Præfatio.

CVm animaduertiſſem, mi Paſtinee, te olim omni ſuaſione prouocatum ad Caprearum ſolitudinem colendam, in qua tu præſul es, primo uiſum mihi eſt, tuam deliberationem laudare, quam quoq; Tyberius Cęſar probauit. nam cum illic probe uixeris, nihil audies, quod audiſſe, nihil dices, quod dixiſſe pœniteat. nemo apud te quempiam ſiniſtris ſermonibus carpet, neminem ipſe repræhendes, niſi tantum te cum parum commode ſcribes. nulla ſpe, nullo timore ſollicitaberis, nullis rumoribus inquietaberis, tecum tantum, & cum libellis loqueris. Deinde libello hoc noſtro tibi dicato, hortari te curaui. habebis enim in eo aptitudines omnes paſſim expoſitas, ſine quibus nemo in ſolitudine apte uiuere poteſt. quibus perſpectis, non modo eam ſolitudinem aggredieris, ad quam te deſtinaueras, uerumetiam eos flocifacies, qui in urbibus ſtrepitum, multos ineptos labores, inaneſq; diſcurſus ſubeunt: defendeſq; Attilij ſentẽtiam, qui dictitare ſolebat ocioſum eſſe longe ſatius eſſe, q̃ multa agere. exiſtimabis enim ocium illud non modo dulce, uerũ etiam omni negotio & pulchrius, & honeſtius. Tecum & cum muſis uiues pręluſtria uitabis, e quibus non raro ſeuiſſima fulmina mittuntur. non audies tot populorum quęrelas, nec tot Tyrannorum minas, feritateſq; quibus uniuerſa Italia conflictatur. Syncœram uitam, ac beatam duces, quæ te æternę fœlicitatis participem faciet, Vale.

Enumeratio aptitudinum, ſine quibus nemo poteſt apte in ſolitudine uiuere.

ANte q̃ de ijs hominibus dicere incipiam, qui apte in ſolitudine uiuere poſſunt, prius de ipſa aptitudine pauca mihi dicenda ſunt. Placet autem in primis quid ſit aptitudo hoc loco definire, ut exemplo eruditiſſimorum uirorum principio intelligatur de qua re omnis noſtra diſputatio futura ſit. ſic enim ſumma totius rei cognita, facilius de reliquis, & rectius iudicare poterimus. eſt igitur aptitudo accommodatio quędam, qua quis natura uel habitu ad aliquid agendum, uel patiendum accommodatur. nam ſi (auctore Perſio dicente, non ego cum ſcribo, ſi forte quid aptius exit:) aptum eſt, quod ad aliquid accommodatur, aptitudo profecto accommodatio quædam erit. quę ſi ex principijs generationis proficiſcitur, natiua aptitudo eſt. Sin autem ab uſu, uel morali aſſuetudine, habitualis appellatur. ſic enim eam uocat Ariſtoteles. Aptitudinum uero, ſine quibus nemo in ſolitudine uitam ducere poteſt, aliæ ex parte corporis, nonnullæ ex parte

fortunę,

fortunæ,quædam ex parte animę accipiuntur.Nam cum nemo ſine bonis nec ſimpliciter,nec ſolitariam uitam agere poſſit,fit ut tribus exiſtentibus generibus bonorum corporis uidelicet,fortune,& animę,tria quoq; harum aptitudinum genera emergunt.

Enumeratio earum aptitudinum,quæ accipiuntur ex parte corporis.

APtitudines uero quę ex parte corporis accipiuntur, licet a peripateticis multæ enarrentur,ab Ariſtotele tamen in ethicorum libris tres potiſſimum explicantur, ſanitas uidelicet,uires,atq; uitę longitudo.uerum in libris rhetoricorũ his adhuc, addit robur,pulchritudinem,& proceritatem. ſed hæc,quæ Ariſtoteles addit,licet fœlici ciuili,qui non ſupra hominem uiuit fortaſſe neceſſaria ſint,tamen fœlici monaſtico;qui ſupra hominem uitam ducit,neceſſaria non ſunt. Quod profecto nos facile probare poſſumus,eſt enim robur(quemadmodum Ariſtoteles rhetoricorum primo expoſuit)uis quędam certatura, qua ſumus ex principijs natiui; ad certandum,atq; dimicandum apti.Sumus autem ad dimicandum,certandumq́; apti non una ratione,nam qui pedes poteſt quodam proicere modo, citoq́; ac longe mouere, hic licet curſor appelletur, tamen robuſtus quoq; cenſetur. Qui etiam alium uno pede premere, altero autem eundem retinere poteſt,hic, etſi luctator ſit, robuſtus tamen habendus eſt. Præterea qui pulſando alium pellere poteſt,Quamq̃ percuſſor eſt nihilominus robuſtus creditur. Simili ratione, qui plura horum aptus eſt facere,robuſtior putatur.Robuſtiſſimus autem,qui ea omnia facile aptus eſt perficere. Si igitur robur ex ijs deſcribatur, cum eorum nullum uiuenti in ſolitudine neceſſarium ſit,quippe cum poſſit unuſquiſq; ſolitudine frui,ut perſpicuum eſt, abſq; illis:fit,ut robur inter aptitudines uitæ ſolitarię neceſſarias enumerandum non ſit. uerum non nocet,cum nullum per ſe,ſuaq́; natura bonum alicui bono nocere poſſit. Minime quoq; ulchritudo uiro ſolitario neceſſaria uidetur. hoc autem non erit obſcurum, ſi quid pulchritudo ſit expoſuerimus.nam ſi pulchritudo ſit quædam membrorum ſiue proportio,ſiue commenſuratio cum quadam colorum,lineamentorumq́; ſuauitate,iucunditate'ue(ut in libris ethicorum ſcribit Ariſtoteles)hæc nulla ratione uiro ſolitario neceſſaria erit.non enim neceſſiria eſt ad naturæ humanę ſubſidium, quippe cum natura humana uitam contemplatiuam,(in qua potiſſimum ſolitudo conſiſtit)ſubſtinere poſſit ſiue pulchra ſiue turpis ſit,modo cætera ei non deſint,quæ ſunt illi neceſſaria.ſin autem pulchritudo eo modo cenſenda ſit,quo ſcribit Ariſto. Libro rhetoricorum primo, longe minus uiro ſolitario neceſſaria uidebitur.nam cum non ſit una,eademq́; in omnibus ætatibus, ſed alia in alia,ea,quæ iuuentæ eſt,uitę ſolitariæ non eſt utilis. Siquidem eum iuuenem Ariſtoteles pulchrum eſſe affirmat,cuius corpus aſpectu iucundum eſt,atq; ad ſubeundos tum curſus, tum labores omnes aptiſſimum eſt.Iuuenem autem dico qui ab annis circiter uigeſimo quinto uſq; ad trigeſimo decurrit.Huius autem pulchritudo, ꝙ neceſſaria non ſit ijs,qui in ſolitudine uiuunt,nemo dubitare debet, quippe cum nec ad ſubſti-

nendam

nendam naturam, nec ad contemplationem, quę uita eſt ſupra natura, aliquid fructus afferat. nec ea pulchritudo utilis eſſe cenſetur, quæ uiri eſt. nam uir pulcher habetur, cum corpus & labores bellicos ſubſtinere poteſt, & ſic aſpectu gratioſum eſt, ut ſimul dum uidetur, placeat, & terreat. eſt autem uir a trigeſimo uſq; in annos trigeſimo quinto. quod itaq; hęc uirilis pulchritudo nequaquam ſolitudini proſit, ex eo perſpicuum, quoniam tam natura, quæ ſolitudinem fouet, quam contemplatio, quæ finis ſolitudinis eſt, ſine pulchritudine, eſſe poteſt, modo alia bona adſint, quę utriq; uitæ neceſſaria ſunt. Nec ea, quę ſenectuti propria eſt. nec ea, quę decrepitati, dico ſenem a trigeſimoquinto anno in ſexageſimum uſq;, decrepitum uero hinc uſq; ad finem uitę. nam ſiue huius ſiue illius pulchritudo ſit, nequaquam ſolitudini prodeſſe uidetur: propter eaſdem cauſas. Pręterea ſi pulchritudo eſſent uiro ſolitario neceſſaria, id profecto non ob aliud eſſent, niſi ad fugiendam increpationem: quam quidem incurrere ſolent ij, qui defectus corporeos patiuntur, debet enim uir ſolitarius omni increpatione carere: ſi fœlici ſolitudine potiri ſtudet uerum nec hanc ob cauſam ei pulchritudo neceſſaria eſt. nam (Auctore Ariſtotele Libro ethicorum tertio) eos, qui natura ſunt turpes, repræhendit nemo, ſed eos, qui propter incuriam atq; negligentiam tales ſunt. nemo enim exprobrabit cuiquam; ad ipſum, ſi ſit aut natura, aut ægritudine, aut uulnere cæcus, ſed potius miſerebitur. Quod ſi ebrietate, uel aliquo alio flagitio, captus ſit oculis, omnes utiq; carpent, ac increpabunt. uiro igitur ſolitario, etiam in contemplatiua fœlicitate conſtituto, nulla ratione pulchritudo neceſſaria uidetur. poſſet autem ex eo conuenire, quo uir ſolitarius in omnibus (ut dicemus) ſibi ipſi iucundus eſt: At cum pulchritudo cuilibet placeat, fit ut ad delectationem firiendam utilis ſit habenda ei potiſſimum cum ſit ſuapte natura bonum, quod nulli bono (ut diximus) obeſſe cenſetur. nec deniq; proceritas neceſſaria uidetur. eſt enim proceritas (authore Ariſtotele rhetoricorum primo) magnitudo corporis ſecundum omnem dimenſionem longum uidelicet, & latum, & profundum: per quam homo pluribus pręſtare aptus eſt, motionesq; corporis non remitere, nec retardare, immo (ut ita dixerim) agilius exercere. Quod autem huiuſmodi proceritas eis, qui uitam in ſolitudinibus ducunt, neceſſaria non ſit ex ijs, quę diximus, perſpicuum eſt. nam ſolitarius duplicem uitam ducit, & eam, quę eſt ſecundum humanam conditionem, & eam, quę eſt ſupra hominem, per quam uiuit intellectu. eſt autem natura humana utriusq; uitę fundamentum. cum igitur proceritas naturę neceſſaria non ſit, nam poteſt natura utramq; uitam ſubſtinere ſine proceritate, ſi modo ei neceſſaria non defuerint. ergo proceritas non erit inter aptitudines enumeranda. reſtat nunc dicere de ea aptitudine, quę ſanitas eſt, ſine qua nemo in ſolitudine uiuere, aut permanere poteſt.

De ea aptitudine quæ eſt ſanitas.

ARiſtoteles itaq; philoſophorum facile princeps, ex aptitudinibus, quę ſunt ſolitudini neceſſariæ, pręcipuam dicit eſſe ſanitatem, unde decimo ethicorum aſſerit corpus ſanum eſſe oportere, primo quidem quoniam ob morbos ſenſuariç ipſę uirtutes

tutes infirmantur, quibus homo ad contemplandum utitur. deinde morboſis laboribus quiſq; homo a contemplatione diuertitur, mentiſq; efficatia ipſius diſtrahitur. eſt autem ſanitas (ut primo rhetoricorum ſcribit Ariſtoteles) corporis uirtus, qua quis corpore pœne ingrotabili ad labores utitur. Qui enim ſic ſani ſunt, ut de Herodico fertur, eos nemo ſanitatis gratia fœlices putabit. Herodicus enim, ut ſanus eſſet, quibus homines utuntur, ijs omnibus, aut plurimis abſtinebat, quod quidem erat ei ſemper infirmum eſſe. oportet autem ſolitarium, maxime cum ad ſenectutem peruenerit ſanum eſſe. quippe cum in ea beata ſolitudinis uita præcipue conſiſtat. eſt autem ſenex ſanus, cuius ſenectus, cum tarde inuaſerit, etiam dolores non infert. nam tam qui cito ſeneſcit, q̃ qui tarde, ſi modo non abſq; dolore, atq; triſtitia permanſerit, incommoda utitur ſenectute. Vnde fit, ut commoda ſenectus non abſq; bonis corporis ſit conſtituenda. qui enim ualitudinarius eſt, et non omni ex parte ſanus, cum facile patiatur, ac doleat, uitęq; breuioris ſit, non eſt fœlix, ſi autem ſine bona ſanitate longæuus ſit, minime eſt fœlix. at ſi longæuus ſanuſq; fuerit, nõ tamen ſine dolore atq; triſtitia, nec fœlix eſſe poterit. bona ergo ſenectus eſt, quę tarda & ſine dolore eſt.

De ea aptitudine, quę ſunt uires.

NEc ſolum ſanitas eis neceſſaria eſt qui uitam ſolitariam ducere ſtudent, ſed etiã uires ſunt autem uires, quibus poſſis, quod mouere cupis, ita mouere, ut uelis. Mouemus autem aut trahentes, aut pellentes, aut eleuantes, aut deijcientes, aut comprimentes, quare qui his omnibus uel pluribus preſtat, hic uiribus pollet. ſunt igitur uires ijs neceſſarię, qui uitam agunt ſolitariam, non minus q̃ ſanitas, nam uires ſanitas ſunt, cum permanſione atq; firmitate. ergo ſi ſanitas neceſſaria eis fuerit, maior (ut ita dixerim) ſanitas, longe magis utilis erit. unde Chreantor philoſophus eximius uires ſanas fundamentum omnium bonorum conſtituit. quippe cum ſine eis, neq; uirtus, neq; uoluptas, neq; diuitię proſunt.

De ea aptitudine, quæ eſt longitudo uitæ.

ET non modo ſanitas, uireſq; ijs neceſſarię ſunt, qui uiuere in ſolitudine expetunt, uerumetiam & longitudo uitę. nam cum ſolitudinis finis ſit beatitudo ea uidelicet, quæ in contemplatione conſiſtit, niſi in uita perfecta fuerit, nequaq̃ erit beatitudo. perfecta autem uita longa eſt, unde Ariſtoteles ethicorum primo, ut prouerbio dici ſolet, nec una hirundo uer facit, nec una dies, ita quoq; nec una dies, nec tempus exiguum beatum fœlicemq; efficiet. & decimo ethicorum perfecta inquit fœlicitas hominis fuerit hęc profecto, modo ſumpta ſit uitæ longitudo perfecta. quippe cum nihil fœlicitatis imperfectum ſit, nihilq; eorum quæ ad fœlicitatem attinent, mancum mutilatumq; fuerit. Præterea qui mentem habet, perpetuitatis appetit, quantum appetere poteſt, appræhendens

dens enim non ſolum eſſe ut nunc, modo quo ſenſus ipſe apprahēdit, ſed eſſe ſimpliciter, tam eſſe ut nunc appetit, q̃ eſſe ſimpliciter. utrunq; enim ſuapte natura appetibile eſt. Quare quemadmodum animal ſolo ſenſu eſſe ut nunc appręhendens, nunc eſſe tantum deſiderat ita quoq; homo ſua mente eſſe ſimpliciter agnoſcens, eſſe ſimpliciter, & ſemper & non tantum ut nunc deſiderare compelletur. itaq; cum homo in ſolitudine uiuens, perfectus ſit, appręhendens tum eſſe nunc, tum eſſe ſimpliciter, appetere ſuapte natura cogetur non tantum nunc eſſe, uerumetiam ſimpliciter. unde perſpicuum eſt, (ſi fœlici uita fruitur) ut perpetuo ea fruatur, quantum humana natura patitur. & cum æterna eſſe non poſſit, opus erit (ut ſit longę) ea uidelicet longitudine, quam humana fragilitas pati poteſt. ſic enim perpetuitatis deſiderium reprehenditur ex ea uitę longitudine, quę in humanis eſſe poteſt. redditurq́; ob id appetitus perpetuitatis ratione moderatus. agnoſcens enim fieri non poſſe, ut ſemper homo ſolitarius uiuat, moderando appetitum ex longitudine, quę in uita eſſe poteſt, in appetitione ea quieſcit, quę longitudinis eſt, quoad fieri poteſt, ſed quotannis uitę longitudo producatur, non eſt exploratum, Philoponus Libro de generatione ſecundo ſpeciei humanæ alium terminum aſſignat, alium autem indiuiduis, eſt autem terminus ſpeciei tributus ille, ultra quem nullum indiuiduorum excedere poteſt: ſed præuenire. At terminus indiuiduis accommodatus non eadem ratione cenſetur. Multis enim de cauſis terminum pręuenire poſſunt, tum ex uaria ſeminum patris & matris commixtione, tum ex uario cibi ac potus, cæterarumq́; rerum nō naturalium uictu. etiā ex uarijs cœli conſtitutionibus, quę in diuerſis genituris diuerſę ſunt. ſpeciei uero terminū (ut omittam ea, quæ de huiusmodi reſcribunt catholici, quę metam noſtram excederēt,) philoſophi non eodem modo conſtituunt. Auerroes Libro ſecundo de generatione, ſpeciei humanę ſpatium uitę naturale conſtituit annos ſeptuaginta quinq;: quod, pace tanti uiri dixerim, falſum eſt. nam obſeruatio docet pleroſq; uitam longiorem uixiſſe. conſtat autem ſpeciei terminum nullum indiuiduum poſſe excedere, ſed uel pręuenire. Philoponus uero doctiſſimus Ariſtotelis expoſitor ſecundo de generatione Libro, ſpeciei humanæ uitę ſpatium conſtituit annos centum quadraginta, uel centum quinquaginta, quatenus nonnullos per hiſtorias tot annos uixiſſe inuenit, plures neminem. unde Plinius, in Tmoli montis cacumine, quod uocant cepſim, auctoritate Mutiani centum quinquaginta annos uiuere homines ſcribit. eſt autem Tmolus mons Lydię, ut idem Plinius auctor eſt Libro quinto. Sed cum ad huiuſmodi terminum pauca hominum genera peruenire poſſint, ſatis erit homini ſolitario pro ſua appetitionis moderatione ut ad eum terminum perueniat, ad quem plures ſapientum perueniſſe per hiſtorias traditum eſt. Sapientes autē ultra centum annos, qui uixerint, pauci admodum ſunt. Thales uir ſapientiſſimus mortuus eſt, ut ſcribit Soſicrates, anno ætatis nonageſimo. Cleobolus autem obijt ſenex annorum ſeptuaginta. Socrates uero teſte Apollodoro, anno ſuæ ætatis ſeptuageſimo, teſte uero Platone in apologia plures q̃ ſeptuaginta, non tamen quot uixiſſe exponitur eo loco. Plato autem uixit annos octuaginta unum, tametſi Neanthes eum uixiſſe ſcribat annos octuaginta quatuor. Ariſtoteles uero uixit annos ſeptaginta tres. & ut breuibus

concludam paucos admodum ſapientes ultra annos centum uixiſſe legimus. Quare uiuendi appetitus in ſapiente non ultra hos proficiſci debet, preſertim, cum poſtea quaſi ſemimortuam uitam ducat. & de aptitudinibus ex parte corporis hactenus.

Enumeratio earum aptitudinum, quæ accipiuntur ex parte fortunæ.

EX parte uero fortunę etiam aptitudines accipiuntur, ſine quibus nemo, in ſolitudine permanere poteſt, Nam cum ille, qui in ſolitudine uiuit, in ſumma fœlicitate ſit conſtitutus, ideo prima facie ea uidentur neceſſaria homini ſolitario, quę fœlici ēt. ſunt autem fœlici neceſſaria, (ut ſcribit Ariſtoteles primo ethicorum) ex parte fortunæ: pulchritudo nobilitas, proles, ſtudioſi liberi, Amici probi. non enim (ut inquit) omnino fœlix eſt, qui ſpecie eſt turpiſſimus: uel qui ignobilis, uel ſine prole ſolitarius, præterea nec erit aliquis fœlix, cui peſſimi filij ſunt, uel amici improbi, uel qui boni erant, mortui. primo uero rhetoricorum, his bonis addit diuitias, gloriam, & honorem, proſperitatem, & potentiam. Decimo uero ethicorum, ubi de beato loquitur, qui in ſolitudine, ipſaq; contemplatione uiuit, non tot neceſſarias eſſe tradit. ſed de eo loquens, eſt autem (inquit) opus huic, & proſperitate externa, cum ſit homo. natura namq; ipſa ſcilicet humana non eſt ad contemplandum ſufficiens, propter uidelicet conditionem corporis, quod ad ſui ſubſtentationem indiget exterioribus rebus. nam licet mens, quæ incorporea eſt, ad contemplandum per ſe ſufficiens ſit. homini tamen, qui eam ſubſtinet, opus eſt primo habere (ut diximus) corpus ſanum, & alimenta, deinde habere famulos, qui ei miniſtrent ea omnia, quę ſunt ſuæ uitę neceſſaria: per quę uoluit intelligere diuitias, nam per diuitias hęc omnia facile unusquiſq; ſibi comparat. quippe, cum nummus (ut ſcribit Ariſtoteles) qui inter diuitias enumeratur, ſit menſura, prętiumq; omnium rerum. Preterea eodem Libro loquens de eodem fœlici ſolitario, ab eo non tollit amicos, quos adiutores uocat, melius autem inquit fortaſſe eſt, ut adiutores habeat, tametſi ſufficientiſſimus ipſe ſit. Nam ut ipſemet octauo Libro ſcribit duo ſimul ſeſe iuuantes, intelligere, & agere magis poſſunt. Sępe enim accidit ut alter eorum ad ea perueniat ad quę alter licet ſapientior ex multis cauſis peruenire non animaduertit. eſt etiam alia ratio, ꝙ amicitia ſit ſumme neceſſaria uitę. ſine amicis enim nullus eligeret uiuere, licet cuncta poſſideret alia bona. Vnde cum de omnibus percurriſſet deueniens ad eos, qui ſunt in ſtatu fœlicitatis propter contemplationem, & ijs item inquit, qui ſunt in ſtatu, neceſſarij ſunt amici ad ante omnes honeſtas, & enim ſi duo ſimul erint, intelligere magis, ac agere poſſunt. Verum (ut inquit) ſi ſufficientiſſimus ipſe ſit, amicis, coadiutoribusq; non opus erit, De honore, & gloria, potentia ac proſperitate, nihil decimo ethicorum meminit nec ab ratione, nam ſolitarius contennit honores, & gloriam. contennit etiam ſceptrum, atq; potentiam, & proſperitatem: quod decimo ethicorum Ariſtoteles demonſtrat, cum inquit nō tamen putandum eſt multis ac magnis ei opus fore, qui

re, qui futurus eſt fœlix: ſi fieri non poteſt, ut ſit beatus ſine bonis externis. non enim in exceſſu diuitiarum ſufficientia eſt, paucis enim indiget natura, præterea exceſſus minus ſufficientes reddit eos, qui diuitijs exuperant, Indigebunt enim multorum auxilijs ad cuſtodiendas, gubernandasq; ſuperabundantes diuitias. Inſuper neq; iudicium, quod in contemplatione eſt, neq; actio, quę a uirtute proficiſcitur, in exceſſu diuitiarum aut potentię, aut honorum, aut proſperitatis eſt. Sed poſſunt etiam, qui non terrę, marisq; principes ſunt, honeſta agere. nam a mediocribus facultatibus etiam poteſt quis illa agere, quę ſunt ſecundum uirtutem. atq; id clare cernere licet, priuati enim non minus agere uidentur res bonas, q̃ qui ſunt in poteſtatibus ac dignitatibus conſtituti, immo etiam magis.

De inconſtantijs, quę apparent de ſolitario in his, quę Ariſtoteles dicit.

SVnt autem in ijs, quæ Ariſtoteles dicit de fœlici, qui in contemplatione uiuit, non paucę inconſtantię. Prima quidem tacta eſt, nam cum ille, qui in ſolitudine uiuit, in ſumma fœlicitate ob contemplationem uiuere cenſetur, ideo uidentur neceſſaria ei cuncta illa, quę enumerauit Ariſtoteles tum primo ethicorum, tum primo rhetoricorum. Decimo uero ethicorum fœlici contemplatiuo, qui eſt, aut futurus eſt, tot, tantaq; bona tribuit, quot quantaue ad naturæ ſubſiduum ſufficiunt, quæ profecto pauca ſunt, Paucis enim indiget natura, ſi nihil aliud quærat, q̃ ſui ſalutem atq; conſeruationem. prӕterea decimo ethicorum uno loco aſſerit in contemplatione maximam eſſe ſufficientiam, quoniam in ea homo ijs ſolis indiget, quę ſunt neceſſaria omnibus ad communem uitam. Indiget enim neceſſarijs uitę tam fœlix contemplatione, q̃ beatus ipſa uirtute. uerum uirtute fœlix, cum ciuilem uitam ducat, ultra uitæ neceſſaria alijs egere uidetur. ut iuſtus, qui indiget alijs ad quos opus eſt iuſte agere. Deinde aliquibus indiget cum quibus aut per quos iuſtitiam operetur. et ſic indiget multorum auxilio. ſimili ratione temperans, & fortis, alijq; quibuſuis uirtutibus prӕditi. At ſolitarius, qui contemplatione gaudet, ueritatem contemplari poteſt, etiam ſi per ſe ſolus uiuat: per quę declarauit externis non indigere, niſi quatenus per ea ſolum natura ſuſtinetur. Inſuper eodem Libro fœlici ſolitario aſſignat opera uirtutum, & ob id mediocrem bonorum ſtatum opus ei eſſe affirmat. Et eodem Libro teſte deo, qui contemplatione ſola beatus eſt, actiones officioſas contemplatiuo non aſſignat, aſſerens eum uiuere uitam, quę eſt ſuper hominis naturam. non enim inquit, qua homo eſt ita uiuit ſed quo eſt quid in ipſo diuinum. quantum igitur hoc ab ipſo compoſito differt, tantum & huius operatio diſtat ab ea, quę a uirtute alia proficiſcitur, per quæ intelligere potes clariſſime huiuſmodi fœlici non opus eſſe uti uirtutibus, prӕter q̃ mente. quippe cum ſola mẽte ipſa ſit beatus. quod ſi ita fuerit, nulla eſt bonorũ externorũ neceſſitas, niſi ad ſubſidiũ naturę, in qua mens collocatur. At ad naturę ſubſidiũ, nõ mediocres diuitiæ, nõ uxor, nõ liberi, nõ honor, nõ gloria, nõ potentia, nõ proſperitas neceſſaria eſt, cum ſine his & mens cõtẽplari & natura ſeruari poſſit, modo bona naturę adſint, quę dicta ſunt, & externa pauca, quę naturę ſufficiunt. ꝑ quę ꝑſpicuũ eſt Ariſtotelem ſibi non conſtare.

SEd cum in Libris tanti philoſophi nulla ſit unq̃ inconſtantia, aut contradictio, aut repugnantia reperta, niſi ab eis, qui (ut Auerroes inquit) uerba eius nullatenus perceperunt, nihil quoq; ſit ab eo aſſertum (ut Alexander Aphrodiſius ſcribit,) ſine grandi, ac inconuincibili ratione, ideo ad tollendas huiuſmodi inconſtantias, non recedemus ab eis quę tantus uir in doctrina in alijs Libris accepit. Dicimus itaq; Ariſtotelem ſolitarium non una ratione diſtinxiſſe. eſt enim alius, quem ipſe beſtiam uocat, nos uero (ut ad formã eius diſtinctionem aptemus,) appellamus ferinum. Alius eſt, quem deum eſſe fatetur nos diuinum uel heroem, ſiue heroicum, Plato ſanctum uocat. Alius eſt, cui ipſe nullũ prębet nomen, nos autem uocemus ipſum humanum: nam licet procul a ciuitate rura colat, tamen cum non ſit (ut dicemus.) ſine hominis conditione humanus dicatur. Alius deniq; eſt, ciuilis quem ideo ciuilem appellamus, quia non procul a ciuitate uitam ducit.

De ſolitario ferino.

NVnc de unoquoq; breuibus tranſigemus: initio nobis ſumpto ab eo ſolitario, quẽ ferinum appellamus. ubi itaq; dicimus hominem procul a ciuitate uiuere ferino more interdum ob fortunam. & hic eſt ille, qui ſine ſui cauſa toto ſuæ uitę tempore ad ſolitudines relegatur: qualis is eſt, qui propter parentum delicta, ſine ſui culpa pœnam exilij ſubeſt. Aliquando ob morbos, ueluti ijs euenit, qui ob atrę bilis exceſſum rationis uſum ammictunt, hi enim ea de cauſa homines fugiunt. hanc atrę bilis ſpeciẽ Auicenna cucubrit uocat, per quam homines, qui ea affecti ſunt, loca fugiunt habitata, deſerta, atq; ſolitudines colunt. ab hac captus Aiax loca deſerta proſecutus eſt. unde illud Homeri.

Aſt hic quando etiam grauior dijs omnibus errat,
In campos ſolus latos, inq; auia rura.
Ipſe ſuum cor edens hominum ueſtigia uitans.

Et ob hanc cauſam Ariſtoteles Libro problematum Atram bilem uino aſſimilauit, nec ab ratione, nam Atra ipſa bilis uarijs affectibus animam afficit, quemadmodum uinum. Aliquando ob defectum naturę, qui contingit in inſtrumentis, per quę exercentur operationes animales, qualis in mutilatis, aut in ſurdis, mutiſq; euenit, qui ob id relegantur ad agros excolendos. nonnunq̃ ob defectum naturę, qui contingit in ipſis ſenſorijs, ſpiritibuſq; qui functionibus mentis ſeruiunt: quales homines ij ſunt, qui nati in aliqua regione a temperie lapſa, ut puta quia uel calidiſſima, uel frigidiſſima, in ea enim nullus niſi ferinus, atq; ſilueſtris naſcitur: ceu in Æthiopia, & in Ponto. aut quales ij ſunt, qui licet in regionibus admodum temperatis orti ſint, tamen ex aliqua ui cœli ineptiſſimi ad rationis uſum producti ſunt, & pro-

Sectione. 30. problemate. 30.

pterea a parentibus relegantur ad agros excolendos,& ad ſolitudines. interdum ex habitu, nam licet fortaſſe in decenti regione nati ſint,bona ac decenti diſpoſitione dotati, nec aliquo morbo,uel atra bili affecti: tamen electione ſcelerum adeo ratione obcęcantur,ut in feritatem eam ueniant,quę uir.uti Heroicę contraria eſt.& ea de cauſa cum in ciuitatibus admitti non poſſint,ſyluas,locaq́; deſerta petunt,ut rapinas, graſſationes, & omnium malorum genera exercere poſſint. hunc Ariſtoteles Libro Pol ticorum primo, (quia ab ipſa ratione penitus deficit,)beſtiam uocat.nos autem ferinum hominem. Nam ſolis ſenſibus,ac paſſionibus affectus uiuit.unde licet eius natura ſit humana, cum homo ſit,tamen eſt adeo inepta aut ex tempore aut ex principij generationis, ut reddat eum ferinum,& ab humana ipſa condi:ione multum abſentem.

De ſolitario diuino.

DIximus eſſe alium ſolitarium, quem Ariſtoteles deum appellabat , nos Hęroem hęroicum,uel diuinum, Plato ſanctum.eſt autem is,qui adeo ab ipſis ſenſibus eleuatus eſt,numinumq́; contemplationi,ac ueritatis ſtudijs adhib.tus,ut neq; alimentis, nec ueſtibus,neq; ſeruis ei aliqua ratione opus ſit.hic enim ſupra humanæ conditionis curſum ſola diuinorum contemplatione uiuit,atq; gaudet,ſola etiam ueritatis indagatione ſeruatur.& de hoc Ariſtoteles decimo ethicorum ita ſcribit,talis autem ui a ſuperat hominis naturam.non enim hoc ipſo quo homo eſt,ita uiuet,ſed quo eſt quid in ipſo diuinum. quantum igitur hoc ab ipſo compoſito differt,tantum & huius operatio diſtat ab ea,quę a uirtute alia proficiſcitur. quod ſi mens diuinum ad ipſum hominem eſt, & uita, quę ab hac manat,diuina eſt re ſpiritu ipſius uitę humanæ per quæ clare colligitur hu uſmodi ſolitarium ad ſui uitam nullo alio indigere.præterq́; contemplatione,quoniam ea ſo'a gaudet,& uiuit.nec externis ei opus eſſe,cum eius uita ſuperet hominis naturam. hu us generis apud nos fuerunt,diuinus ille Ioannes Baptiſta Elpidius Cappadox,qui bis tantum ueſcebatur in Hebdomada, Mederlcus edunenſis qui ſemel in hebdomada cibum ſumebat et alij plurimi.Temporibus autem Ariſtotelis Polidorum prieneum fuiſſe narrant hiſtoriæ.huc enim ſola contemplatione uixiſſe.nunq̃ue alimentis aut ueſtimentis, aut aliquo alio externorum uſum eſſe affirmant. Sed unde huiuſmodi conditionem diuinus hic ſolitarius ſibi comparare poſſit,non eſt exploratum. Ariſtoteles ſeptimo Libro ethicorum huiuſmodi diuinam conditionem hominibus accidere cenſet ex eius uirtutis adeptione, quam uocat heroicam:per quam melior q̃ homo euadit,ſed minor deo: hoc eſt quaſi medius inter deos,& homines,dictus Hæros.eſt enim Heroica uirtus melior humanis profectionibus,quæ ſunt ui rtus ipſa, & continentia. in Hæroica enim ipſa uirtute motus concupiſcentiæ,pugnaq́; partium animę ſunt cum ſedati,tum omnino e mortui. in uirtute autem ſedati,quidem ſed non omnino emortui. At in ipſa continentia neq; ſedati, neq; emortui,ſed exuperati duntaxat.in ipſo enim continente motus emergunt concupiſcentię,nec

tię,nec

tię ,necnon & pugna partis irrationalis aduerſus rationalem.tamen ratio ſemper uincit, ſedatq́; ſemper motus, qui ſurgunt aduerſus eam. Alij uero boni peripatetici eum ſolitarium poſſe conditionem, qua ſuperat humanam naturam lucrari autumant ex principijs generationis.homo enim ex principijs ortus, non modo elementariam naturam ſibi comparare poteſt, qua eſt calidus, frigidus, humidus uel ſiccus, aut inter hos medius, quaue eſt chol ricus, ſanguineus, phlegmaticus, melancholicus, uel inter hos temperatus, uerum etiam eam, quæ a medicis hodie materialis complexio dicitur, quæq; inſequens materiam appellatur, ſic enim nunc uocatur. per hanc Ariſtoteles hominem arbitratur in omnem actum uirtutis exire poſſe non quidem tanq̃ p habitũ (cum habitus ex actibus generetur) ſed tanq̃ per diuinam diſpoſitionem loco habi us uicæ fungentem, per hanc hominem ea ſolum agere putat, quæ ratio dictat, appetitu nullo pacto aduerſante.per hanc motus concupiſcentiæ, & pugna, (quę emergere ſolet inter rationem & appetitum) non modo ſedantur: uerumetiam penitus abolentur.hanc opinionem Auicenna moralis philoſophiæ non ignarus ſexto Libro ſuorum naturalium affirmauit, innumeriſq́; argumentis probauit.uerum inter nos & peripateticos hanc differentiam arbitramur. nam peripatetici illud fieri poſſe putant naturę tam uniuerſalis, q̃ particularis beneficio.quod Auicẽna d lucide exponere eniſus eſt. Nos uere in Ioãne Baptiſta, & alis id genus ex diuina ordiuatione factum eſſe cenſemus: quam diuinam ordinationem, licet Ariſtoteles ignorauerit, qui cuncta lumine naturali tradit, tamen id factum eſſe aliquando, nec ignorauit, nec . negauit, cum huiuſmodi hominem Libro politicorum primo appellet deum. de his fortaſſe ſentit Virgil us, cum dicit, Pauci, quos ęquus amauit Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera uirtus.& alibi Igneus eſt ollis uigor, & cæleſtis origo :

De ſolitario humano.

DIximus inſuper al um ſolitarium eſſe, qui aut rura, aut montes, aut loca ſolitaria colit: qui licet contemplationi ueritatis omni ex parte ſit immerſus, non tamen adeo diuinam diſpoſitionem eſt nactus, ut neq; a'imentis, neq; ueſtibus, neq; ſeruis neq; cęteris externis pro ſuæ uitæ neceſſitate indigeat: quem appellauimus humanum, & de hoc loquitur Ariſtoteles decimo ethicorum , cum inquit, eſt autem opus huic & proſperitate externa, cum ſit homo. natura namq́; ipſa non eſt ad contemplandum ſufficiens, ſed corpus ſanum eſſe oportet, & alimenta, reliquumq́; famulatum adeſſe.Dicitur autem hic ſolitarius humanus, quia ultra, contemplationem, qua ut deus uiuit, modo humano omnes uirtutes nactus eſt. quippe cum doctrina atq; perſuaſione eas adeptus ſit , nam cum per moralem ipſam philoſophiam nouit uicia eſſe fugienda, quia mala uirtutes uero eſſe eligendas, quia ſunt honeſte, atq; bonæ, inſuper & quę uicia, quęue uirtutes, etiam ſi nunq̃ in actionibus uirtutum ſe exercuiſſet, per electionem omnes uirtutum actus exercere poterit eo modo, quo recta ratio præcipit, ac dictat. nam licet ad

officioſum

officioſum actum, ut officioſus ſit, & officioſus dicatur, neceſſaria ſit & electio, & actio exterior. tamen cauſa pręcipua, ac ſola eſt electio, multi enim actus quottidie aguntur qui honeſti uidétur, quia uero ſunt aut timore, aut inani gloria proficiſcentes, non au ē per electionem, nec ſunt, nec dicuntur honeſti. Quare poteſt quiſpiam per electionem ſolam, quam ex doctrina lucratur officio cuiuslibet uirtutis fungi. etiam ſi nullum uirtutis habitum nactus fuerit. poteſt enim ex frequentibus actibus perſuaſiuis, (quos ex morali ſcientia ſibi comparat,) crebras electiones exercere ad bene agendum, exquibus tandem habitus innaſcatur tam in ipſa ratione dictante q̄ in appetitu eligente, quo uidelicet facile poterit id ſemper eligere, quod ratio recta dictat, & hac ratione non uirtutem (ut hodie loquuntur) formalem, ſed uirtualem habebit, ſic enim metaphiſici dicunt habebit enim habitum, quem electiuum boni nuncupant. ob hanc cauſam Ariſtoteles liberalem eſſe poſſe hominem putat, & ſi nunq̄ aliquid donauerit, & fortem, etiam ſi nunq̄ pugnauerit, & iuſtum, & id genus, ſi nullum omnino uirtutis actum promerit. liberalem uero manifeſtum, aut fortem, aut iuſtum nequaq̄, niſi huiuſmodi uirtutū actus exercuerit. nec ſolum ex crebris perſuaſionibus, quę ex doctrina habentur, poteſt quiſpiam habitum eligendi boni ſibi comparare, ſed etiam ex frequentibus perſuaſionibus quæ fiunt a parentibus, & a uiris bonis, potiſſimum cum interuenerit exemplum bonæ uitę eorū uidelicet qui perſuadent. Monet enim uitę bonitas iuuenes ad bene beateq; agendum longe magis (ut ſcribit Ariſtoteles) q̄ Argumentiua, atq; ſyllogiſtica perſuaſio. hæc ſiquidem perſuadet, illa afficit: hæc concitat, illa uincit, nec ex huiuſmodi perſuaſionibus tantum, uerum etiam ex legibus tam diuinis q̄ humanis, præcipitur enim in diuinis legibus eſſe beneuiuendum, ut perpetuam mortem euitemus, & perennem beatitudinem conſequamur. In humanis autem, (quando correctionis ſpes aderit) pœnæ tollerabiles, incorrigibilibus autem exterminationes promittuntur. quare ijs qui ex principijs generationis diuinam naturam ſortiti ſunt, non opus eſt legibus, nec ijs quorum natura magis ad bonum q̄ ad malum prona exoritur. nam doctrina atq; perſuaſio ſufficiunt. At ijs, qui ex principijs naturæ magis ad malum affecti q̄ ad bonum nati uidentur, legibus opus eſt, ut earum metu boni tandem euadant. Qui ſi boni effici non poſſint exterminentur. huiuſmodi igitur ſolitarius humanus eſt, atq; humanus dicatur primo quia licet precipua eius uita ſit contemplatio ueritatis, tamen modo humano externis bonis indiget, licet paucis, cum non ad uulgi opinionem ſed ad naturam ea uelit. deinde quia humanis ſtudijs uirtutum opera exercet, non autem heroicæ, aut diuinitus, ut de diuino ſolitario dictum eſt.

De ciuili ſolitario.

INſuper eſt ciuilis ſolitarius, qui ideo ciuilis eſt, quia in ciuitate moratur, ſolitarius autē, quoniā procul ab adminiſtratione reipublicæ ſtudijs philoſophiæ intendit, de huiuſmodi Ariſto. loquens primo politicæ, quapropter inquit quibuſcunq; eſt facultas

a laboribus

a laboribus ceſſandi, ſtudijs philoſophiæ intendunt. huius generis fuerunt apud græcos, romanos & barbaros plurimi ut Ariſtoteles qui(teſte Cicerone) licet officia publica gerere potuiſſet, ſtudijs philoſophiæ ſe deſtinauit. Socrates quoq; & Plato, & Anaxagoras, & Democritus, & Pythagoras, & Heraclitus, & Leucippus, & cęteri, qui Pythagoreo nomine philoſophi ſunt appellati. antiquitus autem ſapientes. omnes enim hi licet in ciuitate morati ſint, rebus autem publicis gubernandis, non ſe intromiſerunt: occupati altioribus ſtudijs. Quare mente ſolitarij philoſophi ſunt, corpore autem, ciuiles. de huiuſmodi loquitur Ariſtoteles, cum decimo ethicorum dicit, Solon etiam bene fortaſſe de fœlicibus ſenſit, qui quidem eos eſſe fœlices dixit, qui mediocriter res habuerunt externas, & pulcherrimas, (ut putabat) egere, modeſteq; uixere, fieri enim poteſt, ut mediocria poſſidentes agant ea, quæ agere oportet. idem Auctoritate Anaxagorę probauit cum dicit, Anaxagoras quoq; uidetur non locupletem, neq; potentem exiſtimare fœlicem dicens ſe ne quaq̃ mirari ſi ille multitudini abſurdus quidam uidetur nam multitudo ſolum indicat a rebus externis.

De ijs, quæ communia ſunt tribus ſolitarijs.

NVnc de ijs, quę communia ſunt tribus ſolitarijs, uidelicet diuino, humano, & ciuili, nam per hæc erit perſpicuus unuſquiſq; magis. primum igitur commune eſt, contemplari ueritatem omnium eorum quęſitorum, quorum cauſa eſt ignota. quod ſi omnium ueritatem indagare nequiuerit, ſecundum erit eniti ad eam curam peruenire, qua poſſit omnium quęſitorum ueritatem attingere. Tertium eſt mentem diligere, atq; ſummopere uenerari. quartum eſt ſecundum prudentiam cuncta agere: atq; moderari. quintum eſt, omnĩa hęc agere(ut diuina cognoſcat) & humana omnia, quæ tã ſibi ſoli, q̃ quę ſibi cum alijs cõmunia ſunt, gubernet. Ex ijs poſtea deducũtur alia cõmunia, nã quia felix ſolitarius ueritatem contemplatur, & enititur eã quo ad fieri poteſt contẽplari, uidetur(ut Ariſtoteles inquit) optime affectus: quo uero eo excellit quod optimum, hominibus eſt dijs eſt amiciſſimus. Amat enim mentem, quę deo ſimillima eſt. etiam diligit, ac honorat eandem, quę inter res humanas maxime amatur. adeo. Prꝫterea eſt in cura eorum nam ſi dij curam habent humanorum, ut rei ueritas eſt, rationi conſentaneum eſt eos curam habere eius, quod inter humana eſt optimum, Thalis eſt felix, qui ſecundum prudentiam cuncta agit, & quidem bene, & recte. hactenus de communibus.

Quod Ariſtoteles ſibi conſtet.

HIs dilucidatis, facile cernere poſſumus Ariſtotelem in omnibus ſibi conſtare. cum enim in libris rhetoricorum, atq; primo ethicorum, tot aptitudines felici attribuerit, de eo felici loquitur, qui ſola ciuili felicitate beatus eſt. in alijs uero locis de felici

monaſtico

monaſtico cui non tot neceſſaria ſunt. Monaſtico enim (qui diuinus eſt,) Ariſtoteles nec uxorem, nec liberos, nec aliquid extra externorum bonorum aſſignat, nam eũ arbitratur ſola cõtẽplatione uiuere ac ſeruari. humano autẽ monaſtico, licet nec uxorẽ nec liberos, nec nobilitatem, nec cętera id genus iniungat, tamen externa prębet, Sed q̃ pauciſſima, quoniam ille non ad opinionem uulgi, ſed ad naturam uiuit, indiget q; externis tot, tantisq;, Quibus nec alimẽta nec ueſtes, nec ſerui deſint. Quibus q; in ſanitate, & uiribus ſeruari poſſit, concedit autem amicos, qui ſuorum ſtudiorum ſint coadiutores, tum ob inſufficientiam tum propter alias cauſas. ciuili denique contemplatori, qui moratur in ciuitate, externa ammittit. ſed non omnia, cum nec ſceptrum nec exceſſum diuitiarum, ſed cum mediocritate cuncta longe tamen pluraq̃ humano monaſtico. Et licet uxorem, & liberos, & amicos, & cętera permittat, nullum tamen extenorum neceſſarium eſſe autumat, pręter diuitias, cum fuerint honeſtę, ac mediocres. nam Plato ſapientiſſimus fuit, qui nec liberos, nec uxorem, nec potentiam poſſedit, tam & ſi plures ſapientiſſimi fuerint, qui & liberos, & uxorem habuerint, ut ipſe Ariſtoteles, & ſocrates & alij plurimi. Quod ſi contingat in omnibus externis excellere, pręcipit Ariſtoteles primo politicorũ ut talis ipſe ſapiens omnium externorum curã uicario committat: ipſe uero ſtudijs philoſophię ſe prębeat. Plato autem ſapientiam cum potentia bene coiungi autumat, aſſerens felices fore reſpublicas ſi a philoſophis gubernarentur, aut ab ijs, qui diuina ſorte philoſopharentur. uerum Plato per philoſophos morales, Ariſtoteles, contemplatiuos intellexit. Nam potentia, quæ cũ morali philoſophia conjungitur, cum ſumma prudentia cuncta moderatur. contemplatio autem ob potentiam, bonorumq; affluentiam. Impeditur, tum propter nimias occupationes atq; curas, tum ob ſuperbiam, quę ex abundantia bonorum paritur. Ex ijs perſpicuum, & diuinum, & humanum, & ciuilem monaſticum non eſſe aliquem, quin omni morali uirtute pręditus fuerit. aut ob habitum, qui ex crebro uſu eligendi bonum in animo relinquitur. aut ex uſu officioſarum actionum, quibus quotidie fungitur, aut ob diuinam ipſam diſpoſitionem, quæ in eius animo infunditur, aut innaſcitur.

Dubitationes aduerſus diuinum atq; humanum ſolitarium.

SEd hęc, quę diximus, de diuina atq; humana ſolitudine, queſtione non carent, nam utraq; ſolitudo res uidetur pręter naturam. Duorum enim oppoſitorum, ſi alterum eſt naturale, alterum præter naturam fateri compellimur. Sed ſocietas ciuilis, quæ ſolitudini diuinę, atq; humanæ contraria eſt, res naturalis eſt homini. eſt enim homo animal natura ſociale, atq; ciuile. ergo tales illæ ſolitudines res erunt homini præter naturã. omne autem quod eſt homini pręter naturam, rectis legibus prohibitum eſt, atq; cautum. præterea loquela eſt hominibus res naturalis, & non ob aliud, niſi quia homo eſt animal natura ciuile, atq; ſociale. ergo ciuilis ſocietas eſt naturalis. quare illiuſmodi ſolitudines res

erunt

erunt prẹter naturam. Data eſt enim hominibus uox, & ſermo. uox quidē, quemadmodum cunctis alijs animalibus ad ſignificandum affectus, ut metum iram, dolorem, uoluptatem, & id genus. ſermo uero, ad exprimendum animi conceptus. qui pro ſocietate ciuili neceſſarij ſunt. non enim homo cum homine ciuiliter aſſociari poſſet, niſi natura ſermo eſſet ei inditus. Quare ſi ſermo homini eſt res ſecundum naturam, ciuilis ſocietas, ut probauit Ariſtoteles, res eſt ſecundum naturam. erit igitur omnis ſolitudo prẹter naturam, legeq́; cauenda. Inſuper Seneca uir doctiſſimus, omnia nobis mala inquit ſolitudo perſuadet. nemo eſt, cui non ſanctius ſit cum quolibet eſſe, q̃ ſecum. Adhẹc diuinum & humanum ſolitarium Ariſtoteles ubiq; aut heroem, aut deum appellat, quod deo per ſimilis ſit. ergo naturali deſiderio uterq; eniti debet Deo quo ad fieri poteſt aſſimilari. At homo per nihil aliud magis ipſi deo aſſimilari creditur, q̃ hominibus bene faciendo exemplis, atq; doctrina: quod prouerbium demonſtrat, homo homini deus, immo Plinius nihil aliud deum eſſe contendit q̃ mortale, cum iuuerit mortale. Quare unuſquiſq; debet in ciuili ſocietate uiuere, ut proſit mortalibus, ſolitudinemq́; cauere, ne ſibi ſoli natus ſit. eſt enim unuſquiſq;(Auctore Platone atq; Ariſtotele) natus patriẹ, parentibus, & amicis. Quod ſi utraq; ſolitudo res ſit contra naturam, aduerſusq́; bonum moris, fit. ut utraq; lege ſit cauenda. Epiſtola. 61.

Dilutiones.

SEd hæc non militant, ideo pro dilutione illud accipiendum, ſolitudinem illam diuinam, aut humanam, de quibus nunc diſputamus, nec eſſe hominis eſſentiam, nec perfectionem, nec uitam, ſed inſtrumentum (ut Diuus Thomas inquit) non quidem actioni, ſed contemplationi idoneum, & cum contemplatio nec lege, nec natura ſit homini interdicta, fit, ut nec ſolitudo: quẹ eſt ei idoneum, inſtrumentum: uerum nec ſolitudo, nec contemplatio tanta eſſe debet, ut per eam commune bonum aut tollatur, aut impediatur. nam cum ſolitarius multis prodeſſe poſſit, lege naturẹ, tenetur benefacere, alioquin iniuſtus redderetur, ſed cum non poſſit alijs prodeſſe uel benefacere, niſi cum hominibus uniuerſando, atq; in ciuili ſocietate uiuendo, fit ut uita partim in ſolitudine, partim in ſocietate frui cogatur. nam cum per temporaneam conuerſationem finem non amittat, per uices (ut arbitror,) nunc ſolus, ut ſibi, nunc in ſocietate, ut alijs proſit, uiuere compellitur. Tempus autem quo ſolus uitam agit, tanto maius eſſe debet: quāto unuſquiſq; plus ſe q̃ alios diligere natura compellitur. Quare diuinus atq; humanus ſolitarius nemo dicendus eſt, quia omnibus uitæ temporibus ſibi uiuit ſed quoniam plerunq; ſecum, raro autem, et quidem pro neceſſitate, cum alijs uitam degit. ſicut enim aliquod coloratum mediocri colore affectum, album dicimus; quia plus albi q̃ nigri in ſe continet: ita quoq; ſolitarium appellabimus, quia pluribus temporibus ſibi, q̃ alijs uiuit. Qui igitur ſolitudinem diligit, nocte ſibi uniuerſa, die autem partim ſibi, partim alijs (ſi opus fuerit) uitam impartiatur: Prima. ſecūdę. quo. 188 partic. 8.

nec ſe in multitudinem conferat niſi neceſſitas maxime compellat. ſeruauit huiuſmodi ſolitudinem inter Romanos Cincinnatus, qui nũq̃ ad urbẽ ſe conferebat, niſi aut accerſitus, aut cum neceſſitas urgeret. Demonax quoq; philoſophus uitam ſolitariam ducens, nũq̃ niſi benefaciendi cauſa commotus in ſocietatem ſe ducebat. Timon Athenienſis, & ſi congreſſus, atq; hominum ſocietatem (ut auctor Cicero eſt in Libro de amicitia) refugiebat, cum ciuibus cognoſcebat ſe prodeſſe poſſe, eos perlibenter adibat. Diocles heremum quandam Thebaidis habitabat, ad ſocietatem tamen aliquando ſe conferebat, cum ſe eis utilem fore cenſeret. Eucherus ordinis Senatorij dignitate conſpicuus ſpeluncam dumis horridam, nigroq́; lacu tutam in agro Lugdunenſi habitauit: non tamen abſtinebat ſocietate cum opus erat. Ebbinus honeſtiſſimis parentibus inter Britannos natus Tugurium ſibi fecit in ſylua, in quo ad finem uitę durauit conſtantiſſime, nũq̃ tamen defuit ciuibus, cum compelleret occaſio. Poſſem ſexcenta alia exempla inducere, per quę agnoſcere potermus, uſq; quo ſolitudo eligenda, quoue uſq; fugiẽda ſit hoĩbus, ſed de his hactenus.

Enumeratio earum aptitudinum, quę accipiuntur ex parte animę.

POſt hęc inſtitutum noſtrum proſequamur, & eas aptitudines enumeremus, quæ ex parte animę accipiuntur. ſunt autem harum, alię, quæ accipiuntur ex parte animæ ſenſitiuę, Alię autem quæ accipiuntur ex parte animę intellectiuæ. ex parte quidem animę ſenſitiuę, alię nobis natura inſunt, alię ex tempore nobis acquiruntur. Quæ natura nobis ineſt, eſt bona diſpoſitio in ſenſorijs, & ſpiritibus qui menti ſeruiunt ad contemplandum. Bona autem diſpoſitio & quanto, & quali, & proportione deſcribitur. Quę nobis ex tempore emergit, ſunt morales ipſę uirtutes, ſiue nobis per habitum eligendi bonum inſint, ſiue per diſpoſitionem diuinam, ſiue ex crebro uſu honeſtorum actuum. Ex parte autem animę, quę mens eſt reſpectu actionum quidem quas in uniuerſa uita exercemus, eſt prudentia, quę nihil aliud eſt q̃ recta ratio moderandi omnes actus, qui a nobis eliguntur. reſpectu uero contemplationum, eſt habitus ſcientificus, quem Aueroes ſpeculatiuum intellectum uocat. Dico autem habitum ſpeculatiuum, qui aut ad finem in ipſa mente eſt productus, aut continuo per inuentionem atq; diſciplinam excreſcit, quouſq; ad finem peruenerit.

De aptitudinibus quę ex parte animæ ſenſitiuæ, accipiuntur.

SEd cum bona diſpoſitio in ſenſorijs, & ſpiritibus ex bona diſpoſitione, quę in ſanguine eſt, pendeat, (generantur enim ſenſoria, & ſpiritus ex ipſo ſanguine) de ipſo ſanguine dicamus primo: eſt enim ſanguis alius craſſus, alius tenuis, inſuper alius calidus, alius frigidus, adhuc alius peruius, dilucidusq́;, alius obſcurus, atq; opacus. ſpiritus igitur atq; ſenſoria, qui ex tenui, calido, peruioq́; ſanguine exoriuntur, conuenienti multi-

tudine

tudine atque proportione affecti menti ad contemplandum optime ſeruiunt, & ad uires aptiſſimi cenſentur. Sed ſi ex ſanguine calido, craſſo tamen, ad uires quidem idonei, ad contemplationem inepti habentur. Inſuper ſi ex ſanguine calido, tenui, opaco, tamen nec ad contemplandum, nec ad fortitudinem conferunt. De ſpiritibus, & ſenſorijs, qui ex frigido ſanguine exoriuntur, dictum eſt a nobis in Libro de partibus reſumptum uero in primo politicorum. Poſtea de ea diſpoſitione diſſerendum, quę nobis ex tempore emergit, quam in moralibus ipſis uirtutibus conſiſtere, nemo eſt qui dubitat. Diximus enim ſuperius neq; diuinum, neque humanum, neque ciuilem monaſticum poſſe eſſe aliquem, quin omni morali uirtute prędıtus fuerit: aut ob habitum, qui ex crebro uſu eligendi bonum, in animo relinquitur, aut ex longo uſu officioſarum actionum, quibus quotidie funguntur, aut ob diuinam ipſam diſpoſitionem, quę in eis infunditur, aut innaſcitur.

Quod nullus poſſit ſibi ſoli uiuere niſi ſummis uirtutibus prędıtus ſit.

POſthęc q nullus poſſit ſibi ſoli uiuere, niſi qui ſummis uirtutibus prędıtus eſt, declaremus, nam nullus poteſt ſibi uiuere, niſi qui in ſe ipſo habet ea omnia, quę oportet eſſe in amicis, ut cum eis conuiuat, atque ſumma uoluptate fruatur. tria autem ſunt in amicis, ut cum ei iucunde conuiuamus, mutua beneficentia, mutua beniuolentia, atq; mutua concordia. cum enim hęc tria in amicis reperiuntur, mutuo conuictu gaudent. nec aliquid ultra eſt, quod cupiant. hæc autem q ſubſtineat officioſus, qui in omni uirtute præditus eſt ad ſe ipſum dilucidemus. Officioſus enim primo eſt ſibi beneficus, nã ea ſibi procurat, adminiſtrat, atque confert, quæ ſunt uere bona, ut ſunt bona uirtutis. uirtus enim (auctore Ariſtotele) eſt quę facit, & habentem, & opus bonum. Quare bona animi ſibi cõferendo, ſibi etiam bene facit. Deinde eſt ſibi beneuolus, officioſus enim uult ſeipſum uiuere, ſeq; ipſum ſeruari, pręcipue, quo ad eam animę partem, qua uirtus, & ſapientia inſunt. At eſſe, & uiuere cum uirtute & ſapientia eſt maximum omnium bonorum, igitur eſt ſibi beneuolus, quo uult ſibi bonum, quod eſt eſſe, & uiuere cum ſapientia, atque uirtute. Poſtremo officioſus maxime ſibi ipſi concors eſt: primo, quia ſibi ipſi maxime uult conuiuere pluribus de cauſis. primo quidem quatenus ad cor ſuum reuertendo, ſecumq; meditando, mirabili uoluptate afficitur, deinde quo ad prętеritorum, quæ recte geſſit, memoriam. memoria enim atque conſcientia recte factorum mirabiles affert uoluptates. poſtea quoque quo ad futurorum ſpem, cum enim ſpem bene agendi habeat, mira delectatione gaudet. Poſtremo quo ad præſentium agnitionem, nam cum ob ſapientiam contemplationibus mentis abundet: diuinis uoluptatibus etiam excellere uidetur. eſt igitur officioſus maxime ſibi ipſi concors, primo quia ſibi ipſi ob has cauſas maxime uult conuiuere: deinde ob conſenſum in affectibus, nam rationalis pars & ſenſitiua, quæ irrationalis dicitur, condolent, atque condelectantur, idem enim utriſq; iucundum, & dolorificum eſt, eſt enim in officioſo irrationalis ipſa pars rationali omni ex parte obnoxia, quippe cum omni ex

 parte

parte motum rationis imitetur, aut ſaltem non uehementer renitatur. non enim in officioſo rationalis ipſa pars affectibus irrationalis ducitur, adeo ut poſtea affectu ceſſante egiſſe peniteat, ſed cum ſemper ſecundum rationem agat, non facile penitet, qua ratione fit, ut maxime officioſus ſibi ipſi conſentiat. Quod ſi officioſus maxime ſibi conuiuere uelit, maxime quoq; ſibi ipſi conſentiat, fit, ut maxime quoq; ſibi ipſi concors ſit. recte igitur dictũ eſt officioſum eſſe maxime ſibi beneficũ, maxime beneuolũ, maxime etiam concordem. Qui autem ita ſe habet ad ſe, maxime poteſt ſibi ſoli uiuere, cum ea omnia in ſeipſo habeat, quæ in amicis deſiderat, ſapiẽs itaq; nunq̃ ſolus eſſe poteſt, habet enim ſecum oẽs qui ſunt, & qui fuerũt boni, & animum liberũ, & quocunq; uult, profert, & transfert, et quod corpore non poteſt, cogitatione complectitur, & ſi hominum inopia fuerit, loquitur cum deo, quare nũq̃ bonus ſolus erit. Vnde & illud Scipionis recte fertur, nũq̃ minus ſolus, q̃ cum eſſem ſolus. Hoc idem teſtimonio dei probauit Ariſtoteles, qui ſolus ſibi uiuit, & gaudet, quoniam ea omnia in ſe habet, quę deſiderari poſſunt.

Quod officioſus quolibet amicitiæ genere ſit ſibi ipſi amicus, & maxime philautus.

CVm triplex ſit amicitia, quędam quæ honeſti cauſa, quędam quæ utilitatis gratia, & tertia, quæ ob uoluptatẽ inter homines emergit hoc triplici amicitiæ genere officioſus ſibi ipſi ut amicus ſit, nemo eſt, qui dubitat. eſt enim ſibi iucundus, quoniã uirtus, qua emicat, iucundiſſima eſt. eſt inſuper utilis, quia quotidie ea bona ſibi procurat, et parat, quę ſunt bona animi, quę a peripateticis uere bona dicũtur: bona autẽ externa pro tanto ſibi elaborat, pro quanto ſunt inſtrumenta uitæ, & ad bene agendum ordinata. eſt etiam ſibi amicus honeſti cauſa, ſiquidem uirtutes, & ſapientia, quibus præditus eſt ſunt bona honeſta, quæ expetuntur propter ſe. Eſt inſuper maxime philautus hoc eſt amator ſui, nam ea ſibi tribuit, quæ pulcherrima, maximeq́; bona ſunt. Inſuper inſeruit principaliſſimo ſui uidelicet intellectui, & in omnibus illi quieſcit. eſt autem ipſe intellectus aut homo totus, aut res principaliſſima omnium earum quæ ſunt in homine. officioſus igitur maxime ſui amator eſt, quia mentẽ amat, illiq́; maxime inſeruit. qua ratione euenit (ut propter hæc) officioſus maxime ſolus uiuere poſſit, quoniam ſibi omni amicitiæ genere eſt amicus, nihilq́; expetibilis reperiri poſſit in alijs, quod in ſe non habeat.

Quod flagitioſus non poſſit ſibi ipſi ſoli uiuere.

QVoniam officioſus ideo aptus eſt uiuere ſolus, quia eſt ſibi beneficus, ſibi beneuolus, atq; ſibi concors, fit ut nequaquam flagitioſus ſibi ſoli uiuat unquam eſt enim ſibi maleficus, maleuolus, atq; diſcors. Maleficus quidẽ, quia ob formi-

dinem

dinem, atq; inertiam eas res agere omittit, quę ſibi optime eſſent. agit autem eas, quę licet corpori bone appareant, animo tamen peſſimę, atq; turpiſſime ſunt. Maleuolus uero, nam res graues, ne fandasq; agendo, uitam ob prauitatem odio habet, ac fugit ſibiq; nō nunq̃ mortem conſciſcit. diſcors, deniq; ſiquidem alios quęrit, quibus cum uerſetur, ſe uero ipſam fugit. nam ſi ſit ſecum, recordatur multarum, grauiumq; rerum, & ſperat alias tales. ſed ſi cum alijs ſit obliuiſcitur. Inſuper neq; una ſecum gaudet atq; dolet, eſt enim in ſeditione eius animus: cum interdum propter improbitatem doleat, abſtinensq; quibusdam interdum letatur adeo ut modo illuc, modo huc rapiatur. flagicioſus igitur atq; improbus nec erga ſe quidem amicę affectus eſt, propterea quod nihil habeat, quod ſit amabile, nec ſibi ſoli uiuere uult cum ſemper cum alijs uiuere cogatur, ut ſuorum ſcelerum obliuiſcatur. Et de aptitudinibus ex parte animę ſenſitiuę hactenus.

De prudentia, deq; intellectu actiuo.

POſt hæc eas aptitudines opus eſt dilucidare quæ ex parte mentis accipiuntur, quarum prima eſt prudentia, quæ cum ſit ratio moderatrix omnium actionum quæ contingunt in uita, ſumma aptitudo erit, per quam quiſq; poterit non ſolum cũ aliis, ſed etiam ſibi ſoli uiuere. cum enim è medio tollitur moderamen actionum, tollitur patientia, & omnis uirtus, iis è medio ſublatis, ſolitudo non erit permanſiua, nec iucunda, quare de prudentia diſſerendum: cum ſit aptitudinum prę clariſſima ad ſolitudinem agendam. uidetur itaq; prudentis eſſe bene conſulere poſſe, circa ea, quę ſibi ſunt bona, ac proſunt, non particulatim, ut quę nam ad ſanitatem uel uires, ſed quę ad beneuiuendum omnino conducant. Signo autem argumentoq; nobis ſunt prudentes particulares, qui circa aliquem finem conſultant. nam ideo prudētes dicuntur, q̃ circa eum finem ea excogitauerint, quorum nulla eſt ars. Quare & generatim is prudens erit, qui ad conſultandum eſt aptus. Sed quę ſint conſultabilia breuibus exponamus. ſunt enim nec neceſſaria, nec impoſſibilia, ſed quę fieri poſſunt, uel non fieri, nec cuncta poſſibilia ſunt conſultabilia, ſed ea, quę ſunt in poteſtate noſtra. inſuper nec hæc omnia, quia non quæ factioni, ſed quę actioni ſubſunt. differunt enim factio, & actio. nam factionis finis quid aliud pręter ipſam factionem eſt, ut domus, actionis uero non ſemper. nam interdum ipſa bona actio finis eſt. ex iis quid prudentia ſit perſpicuum. eſt enim habitus uerus cum ratione, qui in his agēdis uerſatur, quę ſunt homini bona & mala. ob hoc Periclem & alios huiuſmodi prudentes dicimus, quia ſibi ipſis, & quę cęteris hominibus ſunt bona, proſpicere poſſunt, quales quidem ſunt, qui publicis, priuatisq; rebus adminiſtrandis ſunt apti. Plato autem prudentiam cauſam eſſe ait recte agendarum rerum. Cicero uero propter hæc ſæpe prudentiam eſſe aſſerit humanę uitę uel magiſtram, uel artem. Socrates omnes uirtutes prudētias eſſe dicebat. Ariſtoteles hunc erraſſe ait, & eum dicere debuiſſe, nullam uirtutem abſq; prudentia eſſe. ob hoc quoq; Apollophanes ſtoicus tanti prudentiam fecit (ut hanc unam uirtutem

tutem eſſe putaret, uel quæ in ſe cunctas alias contineret, uel ad reliquiæ omnes famu= larentur: quam rem & Bionboriſthenites, & Epicurus probarunt. unde & Afranius in togata propter hanc excellentiam prudentiam ſapientiam appellauit. Hiparchus uero atq; Ptolemæus prudentiam affirmant aſtrorum uim præuertere. nam huius officium eſt præ ſentia diſponere, præterita meminiſſe, futura autem præuidere. & propter hæc non mo= do a ſollicitudine hominem abducit, uerumetiam contra omnes fortunæ impetus armat, ſemper enim præcipit quæ agenda, uel non agenda ſint. Præterea prudentia ab ingenii acumine in primis manat, augetur memoria, creſcit doctrina, ac rerum experientia per ficitur. Plotinus Platonicus cum de uirtutibus ciuilibus ſcriberet, prudētiæ has ſpecies ſub iecit, intelligentiam, circunſpectionem, prouidentiam, docilitatem, cautionem, quibus quoq; peripatetici, & ueteres Academici ſagacitatem addunt, & uerſutiam, & calliditatem et aſtuciam, & æquitatem. Qua ratione fit, ut ex mente ipſa, atq; prudentia is intellectus coaleſcat, qui dicitur actiuus: quippe cum ſemper quæ agenda, uel non agenda ſunt, præ= cipiat. Et cum ex mente ipſa atq; prudentia intellectus fiat actiuus non ab ratione Mi= neruam de Iouis uirtute natam eſſe poetę fabulantur. intelligentes per Mineruam, hu= iuſmodi ex mente atq; prudentia compoſitum. Et cum prudentis uiri officium ſit quæ= cunq; cogitat, aut agitat, recta quadam ratione metiri, nihilq; præter rectum agere, aut nulla ex parte optare humana, atq; putare ſemper diuinis arbitris pręſentibus agi, diui= niſq; conſilijs gubernari, fit ut ſumma aptitudo ſit homini ad uiuendum in ſolitudine. nam per hanc ſolitarius uoluptates refrenat dolores reprimit, affectus omnes moderatur ad ſuperos attolitur, atq; diuinis conſilijs gubernatur, adeo ut nihil horrendum, nihil formidabile pertimeſcat, excubetq; ſemper animo, et q; omnia prouideat: ſicq; pacatus ui uet, ut nec tabeſcat moleſtijs, nec timore frangatur, nec futili lætitia deliqueſcat.

De uirtute, quæ prudentiam conſeruat.

Habet autem prudentiam uirtutem, a qua conſeruatur, ut temperantiam. hanc enim peripatetici prudentiæ conſeruatricem eſſe autumant, ut quæ iudicium ſta bile ac firmum in rebus omnibus agendis reddat, nec permittat illud abefactari, atq; corrumpi a uoluptatibus, neq; a doloribus tabeſcere, aut frangi, nam ut recta ſit ratio in dictis, ac factis, prudentiæ munus habetur, ut autem non effundatur, ſed circunſcripta, firma ſtabilis incorrupta, atq; integra maneat, temperantia. nec huic rei argumentum a contrario deerit, nam ſi uoluptas & dolor iudicium, quod eſt de fine peruertunt, eorum et cum iudicium turbabunt, quæ ad finem nos perducunt. Turbatis autem fine, & me= dijs ad ipſum, prudentia corrumpitur. Quare temperantia, quæ uoluptatum ac dolorum eſt moderatrix, prudentiam & conſeruabit, & augebit. hoc idem teſtatur & Plato, qui principibus, ducibus, cęterisq; omnibus qui ad miniſtrandis, atq; gerendis rebuspublicis intendunt, uinum, libidinesq; omnes interdicat: arbitratus per huiuſmodi

non

non modo iudicium, uerumetiam ment m perue ti. ſunt inſuper nobis uiri prudentes ar gumento, ut inter Grecos Themiſtocles, Photion, Epaminunda, Ariſtides, Cimon, Philippus Alexandri regis pater, & inter barbaros Maſſiniſſa Numidiæ rex. ex romanis iunior Scipio, Veſpaſianus. M. Fabius. Q. Cincinnatus, Cn. Plancus, hi enim & alij complures pariter temperatiſſimi atq; prudentiſſimi fuerunt. Comitantur autem temperantiam modeſtia, uerecundia, pudor, abſtinentia, caſtita, honeſtas, moderatio, parcitas, ſobrietas, atq; pudicitia: in quibus fere uniuerſa ſolitudo conſiſtit.

De pabulo fo ente prudentiam.

EST inſuper prudentiæ pabulum, quod ipſam fouet humor melancolicus, qui cum ex quotidiano uictu excreſcit, euaditq; preternaturalis, febres quartanas, lienes, cæteroſq; morbos efficit, cum autem naturalis exiſtens quantitate, atq; caliditate exuperat homines, reddit per citos, ingenioſos, amaſios, ad omnem excandeſcentiam, atq; cupiditatem propenſos, nonnullos etiam loquatiores, Multos etiam (ut Ariſtoteles eſt auctor) propterea quia calor ille ſedi mentis in uicino eſt, morbis ueſaniæ implicatos, aut lymphatico inſtinctu inferueſcientes, ex quo ſybillæ efficiuntur, & bacchæ, & omnes, qui diuino ſpiraculo inſtigari creduntur: cum ſcilicet id non morbo, ſed naturali intemperiæ accidit. Et (ut cerni) Ariſtoteles non de ueris prophetis, qui diuino numine afflantur, loquitur ſed de ijs, qui pheudoprophetæ ſunt nam ueros prophetas ammiratur, & non negat in libro de ſomno, & uigilia cum dicat eos eſſe ſupra capitulum noſtrum. per hûc modum fieri poetas narrat cum Marcus inquit ciuis Syracuſanus, poeta præſtantior erat, dum mente alienaretur. ubi autem frigiditate exceſſerit, cum formidoloſum quicquam denunclatum eſt, timidum reddit. Iam enim metui aditum patefacit, & metus ipſe refrigerat, ut ex ijs cõſtat, qui metu paulſi obtremiſcũt. hæc iterũ ſi magis excreuerit, inducit conuulſiones, attonitiones, atq; ſtupores. At cum caleſit cum mediocritate, ij prorſus melancolia quidem ſed longe prudentiores, & quamq̃ aliqua in parte minus excedunt, multis tamen in rebus cæteris ſunt omnibus præſtantiores, alij in ſtudiis literarum, alij in artibus, alii in republica, magnum etiam ad ſubeunda pericula diſcrimen hic habitus affert. unde fit, ut homines omnes, qui ingenio claruerunt. uel in ſtudiis philoſophiæ, uel in republica adminiſtranda, uel in carmine pãgendo uel in artibus exercendis, melancolici fuerint: atq; bilis morbis infeſtarentur: ceu inter Heroas de Heracle fertur hic enim ea ipſa natura putatur: & morbum comitialem ſacrum ab illo & Heraculeum priſci nominauere. Lyſandro quoq; Lacedæmonio proxime ante obitum genus id ul cerum emerſit. Adde Aiacem & Bellerophontem, quorum alter penitus ad inſaniam prorupit, alter loca proſequebatur deſerta. quin etiam pleroſq; alios ex heroum ordine morbo eodem laboraſſe compertum eſt, annis uero poſterioribus Empedoclem, Socratem, Platonem, alioſq; complures uiros inſignes hoc fuiſſe habitu nouimus, atq; etiam par

Libro problema. partic. 30. problema primo.

tem

tem ordinis poetarum ampliorem.nam & multos id genus hominum morbi ob eiuſmodi habitum corporis exercent, & aliqui ſuapte natura in eos ipſos affectus perſpicue uergunt.omnes tamen fere(ut dictum iam eſt)natura huiuſmodi extitere.Quæ cum ita ſint, fit,ut habitus huiuſmodi, cum calidus ſit mediocriter,pabulum ſit idoneum non modo ad prudentiam fouendam, ſed ad ſolitudines quęrendas.

De intellectu contemplatiuo.

IIs aptitudinibus explicatis,quę ex parte ſenſitiuę animę accipiuntur, nunc de intellectu contemplatiuo diſſerendum,qui proxima aptitudo eorum eſt,qui in ſolitudine uiuere uolunt.Quippe cum ſolitudo aut ipſe contemplatiuus intellectus ſit, aut ad eum aptiſſimum inſtrumentum,quod quidem niſi contemplationi ſit coniunctum, fruſtra cenſetur,atq; non permanſiuum.Intellectus itaq; contemplatiuus(cum ad finem peruenerit)tria in ſe habet,cognitionem principiorum,ſcientiam eorum quæ ex principijs deducitur,& ſapientiam,quæ intellectus eſt principiorum & ſcientia eorum, quæ ex principijs cognoſcuntur.cum uero fuerit in uia, circa hæc tria ſemper uerſatur : donec ad finem ſe perueniſſe putauerit.Quare duplex nomen ſortitur,nam cum in uia fuerit,ſtudii ad contemplandum,aut ad cognitionem ueritatis inſtitutum dicitur,cum autem fuerit in fine,(quod Aueroes fieri poſſe cenſuit)intellectus omni ex parte acquiſitus,atq; perfectus,uocatur.Ex ijs non eſt obſcurum ad quid ſeruiat ſolitudo.nam ſi intellectus contemplatiuus omni ex parte acquiſitus,atq; perfectus eſt,ſolitudo inſtrumentum aptiſſimum eſt,quo apte eo frui poſſumus:atq; gaudere,ſin autem in uia ad finem cucurrerit, idonea aptitudo erit,tum ut ea parte,quę acquiſita eſt,fruamur,tum uel maxime ,ut ad finem,quo ad fieri poſſit,perueniamus.

De partibus intellectus contemplatiui.

COntemplatiui autem intellectus partes multiplices ſunt,nam aliæ principes , aliæ ſubminiſtrę,aut(ut græci dicunt)organicæ ſunt.principes quidem, naturalis philoſophia,Quam gręci Phyſicam uocant,Mathematica,& harum mediæ Aſtrologia,perſpectiua,Muſica,eſt tertia ſcientia,quam uerbo corrupto Metaphyſicam dicunt. Ariſtoteles nunc ſapientiam,nunc Theologiam.Mathematicas explodit a fœlicitate cõtemplatiua: Aueroes aſſerens eas non eſſe inuentas propter delectationẽ,ſed propter exercitationẽ, nam græci(Auctore Alexandro Aphrodiſio procemio de Phyſico auditu,) Anteq; pueros tranſmutarent ad ſtudium rerum diuinarum , exercebant in mathematicis ut aſſueti res mediocriter ſeparatas contemplari,facile poſſent res diuinas,quę omni ex parte ſeperatæ ſunt a materiaq; abiunctæ.pręterea etiam alia ratione,ex ſtudiis geometricis,facile poterant ad mecanicas ſe conferre.ex ſtudiis arithmeticis ad Mercaturas,ꝙ uero nõ

uideantur

uideantur intentę per ſe, ex eo perſpicuum eſt, quia, cum effectus non ſit ſua cauſa prius agnitus, nullam nobis admirationem affert, cum per cauſam ſcitur: quare nec uoluptatem. Inſuper nulla res naturę eſt teſtatur (Ariſtoteles primo de partibus animalium) in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. & quod Heraclitum dixiſſe ferunt ad eos, qui cum alloqui eum uellent, quod forte in caſa furnaria quadam caloris gratia ſedentem uidiſſent, accedere temperarunt. Ingredi enim eos fidēter iuſſit, quoniam (inquit) ne huic quidem loco dij deſunt immortales. hoc idem indaganda quoq; natura animantium faciendum eſt. aggredi enim queq; ſine ullo pudore debemus, cum in omnibus naturæ, numen, & honeſtum pulchrumq; inſit ingenium. Quippe cum naturæ operibus iunctum illud præcipue ſit, ut nihil temere, uiceq; fortuita committatur, ſed alicuius gratia omnia agantur. Finis autem cuius gratia quicquam uel conſtat, uel conditum eſt, boni honeſtiq; obtinet rationem. hæc Ariſtoteles, per quę clariſſima ratione patet, nullū eſſe naturæ effectum, in quo non ſit numen: atq; diuini quicquam. Quare nihil erit in natura, quod anteq̄ ſciatur, nobis admirationem non afferat, poſtea uero ſcitum miram delectationem non efficiat. At res mathematicę, cum non ſint effectus naturæ, ſed in noſtra cogitatione collocatę nec admirationem nobis afferant, quaſi prius ſuis cauſis agnitę: fit ut nec delectationem, nec admirationem nobis prębeant. non enim in eis numen, aut diuini quicquam comperimus: niſi in medijs ſcientijs ea ex parte, qua effectus naturę ſunt res, de quibus agunt. hac ratione Ariſtoteles primo metaphyſicæ tradit apud Ægyptum ubi mathematicę primo inuentæ ſunt, eas nec ad uoluptatem, nec ad neceſſitatem repertas eſſe. non ergo ab ratione Aueroes, & Alexander compertas eſſe dicūt propter exercitationem, eam autem ſcētiam, quę cognitio rerum naturalium eſt per ſuas cauſas, quāq; gręci phyſicen, & eam, quę ſupranaturalium rerum eſt per ſuos effectus, quę & ſapientia, & Theologia uocatur, partes eſſe affirmant contemplatiui intellectus. ſubminiſtrę uero his ſunt grammatica, & Analytica, cuius duæ partes ſunt, prioriſtica, atq; poſterioriſtica. ſine enim ſyllogiſmis nec inuenire, nec iudicare ueritates aliquas poſſumus, quare nullo pacto philoſophari, cum philoſophari ſit aliud nihil quàm ſtudium indagandę ueritatis. ſine autem grammatica nec recte loqui, nec recte ſcribere poſſumus. Sunt igitur analytica atq; grammatica ſubminiſtrę atq; organicę artes, ſine quibus non bene, nonq; artificioſe partes contemplatiui intellectus haberi poſſunt. Topica autem inuenta eſt pro colloquijs, & ad diſſerendum probabiliter in omni ſcientia de omni quęſito, quod in ea proponitur. eſt enim facultas diſſerendi omne problema. Sophiſtica uero reperta eſt aduerſus importunos, qui ueritatem extorquere enituntur. Rhetorica licet moralis philoſophię ſit inſtrumentum, ut Analytica naturalis philoſophię: tamen utilis eſt in omnibus dicendi generibus: in quibus dicere ſolemus coram auditoribus. Poetica autem inuenta eſt (ut Ariſtoteles auctor eſt in eo Libro, quem de poetica ſcripſit) & ad delectandum, & ad conferendum. Quod Oratius affirmat, cum dicit

Et prodeſſe uolunt, & delectare poetę.

PArteſ uero naturalis philoſophię, quę quidem omnibus communis eſt, cum ſit de ijs, quę rebus naturalibus omnibus communia ſunt, ea eſt, quam phyſicam auſcultationem uocant: alio autem nomine Librum phyſicorum. in hac enim parte agitur de accidentibus, quę rebus naturalibus omnibus communia ſunt, & de principijs, quę eorum accidentium communes cauſę ſunt. ſecunda uero, quę de cælo, & mundo inſcribitur. non diſſerere uidetur de mundo el. mentário, & de ea parte ſupralunari, quę dicitur cælum. de his enim agitur, quatenus motui locali ſimpliciter ſubijciuntur. tertia autem, quę de generabilibus, et corruptibilibus pertractat: nam de mobilibus eſt, ut ſubijciuntur motui, qui terminatur ad formam ſimpliciter. quarta deinceps, quę de ijs mobilibus eſt, quorum motus terminatur ad formam mixti imperfecti, quorum ſcientiam meteorologiam uocant: hoc eſt ſermonem de ſublimibus. quinta poſtea, quę eſt de mobilibus, quorum motus finitur ad formam mixti perfecti, non tamen ſub certa ſpecie definiti. quem appellant gręca de mixtis. hunc ſub nomine Libri quarti meteororum iuniores latini ab Ariſtotele traditum eſſe putant, Alexander Aphrodiſius tertiam de generatione, nos uero hanc partem quintam Librum de mixtis facimus, quę uidelicet terminantur ad formam perfectam, non tamen ſub certa ſpecie conſtitutam. ſexta uero quę de mobilibus eſt, quorum motus terminatur ad formam mixti perfectam, atq; ſub ſpecie definitam, ut eſt liber de mineris lapidibusq;. ſeptima autem, quę de plantis, quorum motus finitur in formam plantę: quæ ſub certa ſpecie definita eſt. octaua deinceps quę eſt de animalibus, quorum generatio ad formam terminatur, quę ſub ſpecie eſt. nona ea pars eſt, quam Ariſtoteles Libro primo de partibus mediam & mathematicam appellat, mediam quidem, quia eſt de anima, cuius una pars mens uidelicet ad metaphyſicam attinet. ſenſitiua uero atq; uegetalis ad naturalem. Mathematica uero, quia huius ſcientia maxime diſciplinalis eſt. hęc breuibus atti ſſe ſit hactenus.

Parteſ Metaphyſicę.

MEtaphyſica (ut diximus) ab Ariſtotele Theologia appellatur. Verũ Theologia, cum ſit ſermo de diuinis ſubſtantijs; duobus modis tradi poteſt, aut ſenſibus noſtris tam externis, q̃ internis menti ſubminiſtrantibus, & lumine intellectus agentis illuſtrante, aut ſupra ſenſus, captuq; noſtro lumine ſupernaturali illuminante. Prima ratione quidem Theologia naturalis eſt, & hanc tradit Ariſtoteles in Libris, quę ſunt μετὰ τὰ φυσικὰ hoc eſt ultra naturalia. Secunda uero ratione eſt Theologia ſupernaturalis, quam ſub lumine ſupernaturali ſanctiſſimi uiri attulerunt. Plato uero quęcunq; de diuinis pertractat, mixta ſunt ex ijs, quę pura fide tradita ſunt, & ex ijs, quę lumine naturali ipſe comperta ab alijs inuenit. naturalem uero Theologiam Ariſtoteles diſſecuit, nam

alteram partem eſſe uoluit, in qua agitur de iis omnibus, quæ per quandam indifferentiam communia eſſe cenſentur diuinis ac naturalibus ſubſtantiis. Et hanc Ariſtoteles abſoluit in undecim Libris, qui primo leguntur. Alteram uero, in qua de iis diſſeritur, quæ ſolum diuinis ſubſtantiis accommodantur: & hanc in Libro duodecimo uſq; ad finem pertractat. Supernaturalem uero Theologiam non opus eſt diſſecare, cum ſufficienter a uiris ſanctiſſimis in omnes ſui partes diſtincta ſit.

De diuiſione moralis philoſophiæ.

SEd quoniam (ut diximus) unus modus, quo prudentiam, uirtutesq; omnes acquirimus, eſt per doctrinam, quę in morali philoſophia traditur, non erit inutile moralis philoſophiæ diuiſionem in medium afferre. Et cum hęc diuiſio, ab ipſius hominis diuiſione colligatur, dicamus trifariam hominem conſiderandum eſſe, aut quo uiuit ſimpliciter (ut homo) aut quo uiuit in domo, aut quo uiuit in ciuitate. Et cum quoui modo uiuat, bene, & male uiuere poſſit, ita, ut omnifariam bene, beateq; uiuat, tres philoſophię moralis partes aſſignantur. Prima quidem, in qua regula traditur, ut homo bene uiuat quo homo. Alia deinceps, in qua leges afferuntur, quibus bene uiuat ut œconomus, atq; diſpenſator domus. Tertia deniq; in qua leges, regulęq; dantur, quibus homo, ut Ciuis, et ut gubernator ciuitatis bene, beateq; uiuere enitatur. primam quidem partem in his Libris abſoluit, qui ethicorum appellantur. Secundam uero in his, qui œconomicorum dicuntur. tertiam deniq; qui Politicorum nuncupantur. Ex iis facile colligere poſſumus in quibus conſiſtit uniuerſa uis contemplandi: cui ſolitudinem idoneum inſtrumentum eſſe diximus. Qui enim ſolitudinem eligit, & non in his omnibus, uel pluribus uerſatur, beſtia eſt, qui uero contra in iis omnibus, aut pluribus, Deus, hoc eſt heros eſt habendus.

De rebus quibus deſcriptio ſolitudinis conſiſtit.

POſt hæc de iis rebus agendum eſt, quibus deſcribitur ſolitudo: niſi enim ſolitudo optimo ſitu deſcriptioneq; ſtatuatur, fortaſſe erit magis homini uiuenti in ſolitudine impedimento, q̃ iumento. deſcribitur itaq; primo diſtantia a ciuitate, aere, aqua, & terra, in qua ſita eſt.

De diſtantia a ciuitate.

DIſtantia a ciuitate quidem, nam licet ſolitudo haberi poſſit in ipſa ciuitate, tumultuaria eſt, & non procul a negociis, & hanc ob cauſam. C. Plinius nepos Minutium Fundanum hortatur ad ſeceſſum cum in urbe occupati ſint homines rebus inanibus, rure nihil audiant q; audiſſe, nihil dicant, quod dixiſſe pœniteat. hortatur inſuper ad

 ſeceſſum

ſeceſſum,cum nemo apud ſe quemq̃ ſiniſtris ſermonibus carpat,neminem ipſe repræhendat,niſi unum ſe,cum parum commode ſcripſerit nulla ſpe,nullo timore ſollicitetur,nullis rumoribus inquietetur ſecum tantum,& cum libellis loquatur.propter has cauſas huiuſmodi ſolitudinem fœlicem,ſyncæramq; uitam,dulce ocium, honeſtumq;, atq; pene omni negotio pulchrius uocat.hac quoq; ratione Muſeum,hoc eſt bibliothecam,(quę muſarum locus eſſe ſolet)ſacrum atq; ſecretum aſſerit,ſatiusq; eſſe ociosum eſſe, q̃ nihil agere: hoc eſt q̃ multis rebus inanibus impliciari.Quæ cum ita ſint, longe commodius eſt ad contemplandum,ut ſolitudo ſit procul a ciuitate q̃ in ea collocata.;Sed quanta eſſe debeat diſtantia,non eſt exploratum .C. Plinius nepos aliquando aſſeruit ad quartum lapidem procul eſſe eligendam,nec ab ratione,nam cum in ciuitate ſufficientia ſit, & in ſolitudine contingat indigere ijs,quæ in ciuitate reperiuntur,ut poſſit indigentia cito reparari, non oportet ſolitudinem ultra quartum lapidem a ciuitate procul collocare,eſt autẽ huiuſmodi diſtantia ſufficiens,ad fugiendos ciuiles ſtrepitus.quare omni ex parte idonea cenſetur. Alij uero aliam definiunt diſtantiam,ut Hieronymus,quod cum ſit ad alium finem electa,non eſt in huiuſmodi diſputatione amplius immorandum:ſatis autem nobis ſit colligere ſolitudinem commodius procul q̃ in ciuitate eſſe eligendam:& quidem cum opportunitate uię.

De Aeris probatione.

AEris uero ſalubritatem deſcribit Palladius primo de re ruſtica. hunc enim declarare aſſerit locus ab infimis uallibus libera,& nebularum noctibus abſoluta, & habitatorum conſiderata corpuſcula,ſi eis color ſanus,capitis firma ſyncæritas, inoffenſum lumen oculorum, purus auditus, fauces commeatum,liquidæ uocis exercent.hoc genere (ut inquit) benignitas aeris probatur, his contrarijs noxium cœli illius ſpiritum confitentur. Ariſtoteles uero omnium Magiſter locum aere ſalubrem eſſe autumat, qui eleuatis in locis conſtitutus eſt, illic enim homo tardius ſeneſcere cenſetur, quippe cum ſit euentabilis,& ob id putredo,quę ibi aliqua ex cauſa fieret,durare non poterit.contra, qui in concauis paludeſtribusq; ociſſime ſeneſcunt.Præterea locus ſalubrior eſt, qui montibus altis tegitur a parte cœli occidua,atq; meridiana, & qui diſcooperitur ad ortum, & ad arctum.Sic enim perflatur ſalutaribus uentis,qui(ut ſcribit ipſe ſecundo meteororum)ſunt ſeptentrionales, & orientales.& ob hanc cauſam feneſtrę ad ortum,uel ſeptentrionem ſunt collocandæ,ut uidelicet ſalutaribus uentis perflentur. ex quibus patet non recte dictum eſſe a.M.Catone ſalubrem locum eſſe, qui in radice montis ſitus eſt,& ad meridiem ſpectans.non enim radix montis euentabilis eſt,nec uentus, qui ſpirat a meridie,eſt ſalutaris.defert enim aerem plenum uaporibus ab aqua eleuatis,cum tranſeat per Maria.aer autem cum eſt humentior, inducit in corporibus putrefactionem calore æſtiuo agente.Inſuper qui æſtate habet umbram,hyeme ſolem.

Partic.prima.proble.13.

In lib. de re ruſtica. cap.primo.

De aqua

De aqua probanda.

ET cum aquæ uſus (ut Ariſtoteles inquit) plurimus ſit, nam & in pane, & obſonijs, & in potu eſt, ideo cum fieri poteſt, meliore aqua munienda eſt ſolitudo. unde Auicenna; aqua elementū eſt, quod hoc proprium habet, ut id ingrediatur, quod comeditur, & bibitur, non quidem ut nutriat, ſed ut alimentum penetrare faciat: illiusq; ſubſtantiam bonam aptamq; reddat. cauſa autem cur aqua non alat, eſt quoniam id, quod nutritur eſt primo ſanguis, deinde ob ſanguinem membrum. Sed cum ſimplex corpus, (quale elementum eſt) nec in ſanguinem, nec in membrum conuerti poſſit, niſi miſtionem aliquam accipiat, fit, ut nequaq̄ aqua nutriat. aqua itaq; (ut inquit) ſubſtantia eſt, quæ ad liquefaciendum alimentū prodeſt, quatenus ipſum tenue, aptumq; cito penetrare in uenas, atq; loca, quibus expurgentur excrementa, reddit, uſq; adeo ut nequeat alimentum in corpore perficere ſine ea ſuam operationem. Ariſtoteles uero libro problematum ſectione prima aquam aſſerit corporibus alimento eſſe, quo iam habito, complexoq; peregrinemur, Aerem uero nequaq̄, quod non ob aliud uerum eſſe arbitror, niſi quia aqua pura nulla inuenitur: quę miſtionem aliquam non ſubſtineat. Sed miſſa faciamus iſtec. ſed qualis aqua eſſe debeat, licet Auicenna uir naturalis philoſophię non ignarus, multa aquarum genera deſcribat, Palladius tamen breuibus complectitur, cum ait, ut ne a lacunis, aut palude ducatur, ne de metallis originem ſumat, ſed ſit perſpicui coloris, neq; ullo aut ſapore, aut odore uicietur, nullus ibi limus inſidat, frigus tēpore ſuo mulceat, ęſtatis incendia moderetur, ſed ſolet his omnibus ad ſpeciē cuſtoditis occultiorem noxam tectior ſeruare natura, ipſam quoq; ex incolarum ſalubritate noſcamus, ſi fauces bibentiū puræ ſunt, ſi ſaluo capite in pulmonibus ac Thorace, aut nulla eſt, aut rara cauſatio. nam plerumq; has noxas corporis ad inferiorem partem, quæ ſupra ſunt corrupta, demittunt. Sed ut uiciato capite ad pulmonem uel ſtomachum morbi cauſa decurrat, tunc culpandus aer potius inuenitur. deinde ſi uenter, aut uiſcera, uel latera, uel renes nullo dolore aut inflatione uexentur, ſi uicia nulla ueſſicę ſunt. Sed quoniam inuenire aquam ita ſalubrem eſt, aut impoſſibile, aut difficile, accipiendum eſt conſilium M. Terentij Varronis Libro primo, cum inquit, in uilla ædificanda hoc potiſſimum, ut intra ſepta uillę habeas aquam, ſi non q̄ proximo primum q; ibi ſit nata, ſecundum q; influat perennis, ſi omnino aqua non eſt uiua, ciſternę faciundę ſubtectis: quā aquam Auicenna mirum in modum comendat, cum primo Libro inquit, ex aquis quoq; laudabilibus ſunt pluuiatiles aquę, illęq; præcipue, quę æſtate pluerint, cum quarum uide licet nubibus tonitrua permixta ſunt. nec ob aliam cauſam niſi ob illius tenuitatem: atq; concoctionem.

Prima partic. proble. problema. 13. & 14.

In primo phen. 2. doctrina. Cap. 16.

Proble. 13.

Cap. 11.

De terra probanda.

Terra

TErra uero, in qua ſolitudo eſt conſtituēda, nec cœmentoſa, nec tofoſa ſit, nā uapor e exhalationeſq;, quæ ab his attolluntur, ſplenes, & hydropes efficiunt. Sit a paludibus, aquiſq; malis procul, potiſſimum ubi linum aut canabum maturatur. nam circa paludes, locaq; huiuſmodi, animalia etiam quædam minuta creſcunt, quæ (ut M. Terentius Varro inquit libro primo) per aera intus in corpus per os, hac nares perueniunt, atq; efficiunt difficiles morbos. Inſuper terra ſit, ut in ea ornamentum fieri poſſit ex arboribus, ſtirpibus, atq; herbis optimis, atq; ſalubribus, quę etiam uiſum oblectent: qualis ortus fieri ſolet. poterit enim per eum locum ſolitarius nonnunq̄ recreari.

Cap. 12.

De relaxationibus ſolitarij uiri.

QVoniam ſolitarius, qui contemplatione gaudet, atq; delectatur, nec perpetua, nec continua uoluptate affici poteſt, ideo relaxatione indiget. quod uero perpetua atq; continua uoluptate affici non poſſit, eo patet, quia uoluptas, quę contemplationem conſequitur, aut eſt ipſa contemplatio, aut non ſine contemplatione. Sed cum nec operatio aliqua, nec contemplatio humana in nobis perpetua, aut continua eſſe poſſit, dum ſumus in humanis, fit, ut indigeat relaxatione. cum enim in qualibet operatione laboremus, opus eſt, ut tamdiu operatio delectet, q̄diu corpora noſtra a ſua diſpoſitione non mutentur ad laborem. hac ratione nonnullę res, cum nouæ, ſunt delectant, ſed poſtea non ſimiliter propter hęc ipſa. primo namq; (ut Ariſtoteles inquit decimo ethicorum) inuitatur mens, & circa illas operatur intenſe: quemadmodum operantur uiſu, qui inſpiciunt. deinde non fit talis ipſa operatio, ſcilicet ſic intenſa, ſed neglectior. qua propter & uoluptas extenuatur, ac offuſcatur. quare tam qui ſenſu q̄ qui intellectu operatur, ac delectatur, relaxatione indiget, qui ſenſu quidem, quia per ſe operationem perficit inſtrumento corporeo. Qui uero intellectu, quoniam ſaltem per accidens ſenſorijs opus eſt, quę corporea ſunt. Et cum operationes omnes, tam quæ per corpus explentur per ſe, q̄ quæ per accidens, indigeant relaxatione, & quiete. (quippe cum per eas ſpiritus reſoluantur, qui indigent inſtauratione) fit ut ſolitario etiam relaxatio aliqua ſit concedenda. Sed quid illa ſit, non eſt protritum: nec omnibus exploratum. C. Plinius nepos in epiſtola ad Tacitum, cum Minerua in mõtibus, & ſolitudinibus Dianam coniuxit. non eſt (inquit) quod contemnas hoc ſtudendi genus: mirum eſt, ut animus agitatione, motuq; corporis excitetur. Iam undiq; ſyluæ, & ſolitudo, ipſumq; illud ſilentium, quod uenationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt. proinde cum uenabere, licebit (auctore me) ut panarium, & lagunculam, ſic etiam pugillares feras. experieris non Dianam magis montibus, q̄ Mineruam inerrare. Ariſtoteles etiam primo politicorum uenationem laudauit q; inter facultates enumeretur, quibus natura acquirimus neceſſaria ad uitam, & q; pro parte per eam oblectemur. Deorum quoq; inuentio fuit uenatio Apollinis, atq; Dianę, qua Chiron ob iuſtitiam ornatur, quo ille accepto do

no lętus utebatur. uſi ſunt etiam ea (ut inquit Xenophon) qui per id tempus dijs cari fuerunt, Cephalus, Aeſculapius, Milanion Neſtor, Theſeus, Hyppolytus, Pallamedes, Vlyſſes, Meneſteus, Diomedes, Caſtor, Pollux, Machaon, Podalirius, Antilogus, Æneas Achilles. quod ſi dij uenationem inuenerint, eamq; exercuerint, qui dijs cari erant, ſit, ut conueniens relaxatio ſit ſolitario cum laboribus contemplandi feſſus fuerit, alij uoluerunt relaxationem huiuſmodi fieri per amicorum colloquia, uel conuictus, uel per alia genera uoluptatum quęcunq; modo ſint honeſta, uiroq; ſapienti digna. unde Cicero libro officiorum, atq; etiam cum relaxare animos uoluerint, caueant intemperantiam. Chreantor quoq; philoſophus eximius humanam operationem omnem etiam honeſtiſſimam, agreſtem, atq; rudem eſſe autumat, ſi uoluptatis penitus expers fuerit. Quare quouis modo uiro ſolitario pro inſtaurandis ſpiritibus idonea fuerit recreatio, concedenda eſt modo (ut diximus) honeſta ſit.

Solitudinis pręmia.

SVpereſt tandem ut honeſtæ ſolitudinis præmia afferamus, eſt enim primum ea uoluptas, quæ recte factorum conſcientiam, ac memoriam comitatur. Memoria enim ac recte factorũ conſcientia cum nec malediciam, nec obtrectatorẽ formidet, iucundiſſima eſt. hanc ſapienti uiro ſat eſſe plures philoſophorum putarunt, qui gloriam non eſſe expetendam aſſeruerunt, nec ſolum recte factorum conſcientia, ſed longe magis rerum agendarum ſpes iucunda eſt. nam cum ſolitarius ſemper ſpem habeat bene agendi in futuro, ſumma uoluptate gaudet, atq; oblectatur. nec tantum pręteritorum memoria, atq; futurorum ſpes, uerum etiam pręſentium agnitio atq; contemplatio delectabiliſſima eſt. nam cum ſit rerum pręſtantiſſimarum, per eam (ut Ariſtoteles aſſerit) uel deus eſt, aut dijs par. Deus enim ſola contemplatione gaudet atq; uoluptate ſola, quę eam ſequitur, fruitur. eo autem duntaxat differt q in ſolitario uoluptas, quæ ſuam contemplationem comitatur (ut Ariſtoteles probauit) paruo tempore durat, nam ipſe cum corruptibilis ſit, uoluptas ſempiterna non erit. Operationes uero ſenſuum, quę ei ſubminiſtrant, cum expleantur labore, nec erit continua, nec perpetua. At illa dei, & ſempiterna, & perpetua eſt, eſt enim eius intellectio ſine labore perpetua, atq; ſempiterna, quam diuina uoluptas ſequitur. Secundum uero pręmium, quod honeſto ſolitario paratur, adeo eſt Deus enim optimus non ſatis pręmij eſſe putans, quicquid in terris mortalibus tradi poteſt, honeſtum ſolitarium ęterni ęui participem reddit, ut ęterna cum numinibus uita fruatur.

Niphani octauo Septembris. M D. XXXI.

EIVSDEM AVGVSTINI NIPHI MEDICIS PHILOSOPHI

Sueſſani d· ſanctitate, atq; prophanitate Libellus ad Hieronymum Seripandum Eremitani ordinis uirum religioſiſſimum.

ET SI ea mi Hieronyme perturbatio eſt omnium rerum ut ſuæ quenq; fortunę maxime pœniteat, nemoq; ſit (ut Ciceronianis uerbis utar) quin ubi uis, quam ibi, ubi eſt, eſſe malit tamen cum malorum omnium medicina eaq; præcipua ſit philoſophiæ ſtudium, poſt Libellum de uiro nobili Antonio fratri tuo inſcriptum, de ſanctitate atq; Prophanitate (ut hoc utar uocabulo) ad te ſcribere decreui. Nam cum animo ex totius ferè Italię clade affecto opem attulero, tum liquido inter omnis conſtare poterit, ſancto uiro nihil mali accidere poſſe. Sed quemadmodum tot amnes tantum ſuperne deiectorum hmbrium, tanta mediterraneorum uis fontium non mutant maris ſaporem, aut remittunt quidem, ita aduerſarum rerum impetu ſancti uiri animum deijci nō poſſe. Apparebit enim illum immotum in eodem ſemper ſtatu manere, & quicquid aduerſi euenerit, ueluti mare in ſuum ſaporem uertere, ac etiam quod Deo placitum, aduerſus mala attolli. Præterea Deū ipſum opt. Max. erga ſanctos uiros paternū habere animū, illosq; uehemētius amare. Erumnis uero, doloribus ac damnis ideo exagitare, ut uerum inde colligant robur. Quæ omnia ſi mente perceperimus ingentes profecto flocciſaciemus calamitates quibus nunc maxime urgemur. Icirco autem Libellum hunc ad te ſcripſimus, tuoq; ſub nomine potiſſimum emittere decreuimus, quod cum uita, moribus ac doctrina ſummus eniteas eorum, quę in hoc elaborauimus, et æquus iudex, et acerrimus defenſor eſſe potes Vale.

Io. Alouiſii Vopiſci.

I, templum ad ſanctum huc. Si urget uia longa uiator
Saltem attrectato limine tutus abi.

DE

INCIPIT LIBER PRIMVS DE SANCTITATE.

De ſanctitatis definitionibus ſecundum Platonem.

QVoniam de ſanctitate atque prophanitate pertractare propoſuimus, de quibus Plato in Euthiphrone, & Ariſtoteles ſeptimo ethicorum ſub nomine heroicę uirtutis, atque immanitatis diſcernerunt, ideo primo ea, quæ Plato ſentit, afferemus, initio nobis aſſumpto ab ipſius ſanctitatis definitionibus. ſunt enim a Platone in Euthiphrone plures aſſignatę, quarũ prima eſt, ut ſit ſanctitas habitus, quo homines inclinantur ea omnia Deo tribuere, quæ Dei ſunt. Alia uero eſt, ut ſit ſanctitas hominis ad Deum amicitia. Tertia definitio eſt, ut ſit cura deorum, quarta ut ſit ſcientia uouendi, atque ſacrificandi deo, quinta ut ſit inter deos, & homines mutua quædam mercatura, hæ ſunt definitiones ſantitatis, quæ in Euthiphrone aſſignantur, & licet Plato in eo Libro, ut mihi uidetur, nihil certi definiat, tamen per ordinem definitiones huiuſmodi omnes exponamus. nam ijs dilucidatis, quid prophanitas ſit, omnibus erit perſpicuum.

De prima ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.

SEcundum Platonem igitur prima ſanctitatis definitio eſt, ut ſit habitus, quo homines inclinantur ea omnia Deo tribuere, quę Dei ſunt, hanc ergo definitionem primum exponamus quoniam ex huius dilucidatione, cæteræ perſpicuę erunt, eſt itaque ſanctitas habitus. Nam ea, quibus homines agunt aut patiuntur, ut auctor Ariſto. eſt Libro magnorum moralium, ſunt aut potentię aut affectus, aut habitus, affectus (ut exemplo dicam) ſunt ira, manſuetudo, amor, odium, timor, audatia, pudor, inuerecundia, impudentia, commiſeratio, indignatio, inuidia, cæteraq; de quibus Ariſto. diſſerit ſecundo rhetoricorum Libro, talia uero comitari ſolent dolor, atque uoluptas. ſunt enim affectus, quibus homines commoti differenter iudicant. Potentiæ uero ſunt facultates appetitiuæ ſiue ſenſitiuæ animę, quæ ex principijs generationis innaſcuntur ei, quibus facile affici poſſumus, unde enim eis poſſumus iraſci, odiſſe, pertimeſcere, & alia huiuſmodi pati, potentiæ dicuntur, inſuper ea, quibus poſſumus uidere audire, currere, & cætera id genus agere: etiam potentias appellamus. At habitus ſunt quibus ad hæc, bene, uel male, facile uel cum difficultate habemus. erit autem inter hæc ordo, nam ex eſſentia animæ, a principijs ortus potentiæ pullulant, ex potentijs in appetitu, affectus prodeunt, ab affectibus uero, cum in actione ſępe ponitur, habitus, in appetitu generantur, cum igitur ſanctitas nec ſit potentia, quæ ab animæ eſſentia nobis innaſcatur alioquin omnes eſſemus ſancti, uel prophani: nec affectus. nõ enim ſanctitate cõmouemur ad differẽter iudicandum. eſſet etiã ſanctitas (ſi eſſet affectus) non ex noſtris actionibus orta, fit ut ſanctitas ſit habitus, quo homines inclinentur, ea omnia Deo tribuere quę Dei ſunt, Dei uero ſunt, quæ ſine medio

à Deo accepimus: Accepimus a Deo ſine medio non corpus, ut Plato in Libro de natura diſputat ſed ab elementis quattuor, non eam naturam, quam uulgares medici naturalem complexionem uocant, ſed a cœleſtibus ſphæris, non eas animæ partes quæ affectibus trahuntur, ſed a demonibus, atq; ſpherarum animis, Accepimus ergo rationem, ac mentem noſtri parentis imaginem ſine ullo cœlicolarum, aut demonum miniſterio, quare hæc dei ſunt, qua ratione fit, ut habitus, quo homines inclinantur Deo reddere mentem ac rationem: ſanctitas ſit: non enim alia prçter hæc ſine medio a Deo accepimus, qui itaq; hæc omnia Deo reddit uir ſanctus, hæc Deo reddere opus ſanctum, dicuntur.

Quod propter hæc quæ dicta ſunt in prima definitione, Plato affirmet ſanctitatem eſſe iuſtitię partem ſiue ſpeciem.

SEd quoniam, ut Ariſto. aſſerit quinto ethicorum, unum iuſtitiæ genus eſt, quo reddimus alicui, quod ſuum eſt, fit profectò, ut Plato eo Libro uerum affirmet, cum aſſerit ſanctitatem eſſe huius generis iuſtitię partem ſiue ſpeciem: qua reddimus alicui quod ſuum eſt ſanctitate enim reddimus Deo, id omne, quod Dei ipſius eſt: reddimus enim mentem ac rationem, quæ Dei ſunt, quęq; à Deo ſine medio accepimus, eſt autem ſanctitas pars uel ſpecies iuſtitię quippe cum omne ſanctum ſit iuſtum, non autem iuſtum omne ſanctum eſt, eſt enim una iuſtitiæ huius generis ſpecies, qua hominibus reddimus ea, quæ ſua ſunt, & hæc recte, ut Plato aſſerit, ad hominum curam ſpectat, Altera uero qua Deo reddimus, id omne quod Dei eſt, & hæc ad Dei curam attinet, Quare ſanctitas ea iuſtitiæ pars uel ſpecies eſt, quæ ſpectat ad Dei curam, qua uidelicet: Deo reddimus, id omne quod Dei eſt mentem ſcilicet ac rationem.

De ſecunda ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.

QVum uero opus ſanctum ſit Deo amicum ac uir ſanctus etiam Deo amicus, fit ut, ſanctitas ſit hominis ad Deum amicitia, ut in ſecunda definitione Plato deducit. Verum pluribus modis, huic definitioni occurres, primo quidem, quoniam (ut octauo ethicorum tradit Ariſto.) amicorum proprius actus eſt conuictus. nihil enim (ut inquit) tam proprium amicorum eſt, quàm uiuere ſimul, atq; conuerſari. At hominum ad Deum nec conuictus nec conuerſatio cum Deo eſſe poteſt, deinde ſi hominis ad Deum amicitia ſit, oportet ut ſit, aut honeſti, aut utilis, aut uoluptifici mutuus amor. Ad hæc ſi nos ad Deum amicitiam habere poterimus, in aliquo communi bono eam firmari neceſſe eſt: iſtud autem quid ſit, aut quale, non eſt perſpicuum. Rurſum ſanctitas (ut Plato demonſtrauit) eſt iuſtitiæ pars. at amicitia, nec uirtus, nec uirtutis pars, nec ut Ariſto. inquit, iuſtitia, nec

Dubitatio

iuſtitiæ

iuſtitię ſpecies eſt, Quare ſi hæc ſecunda Platonis definitio conueniens fuerit. ſanctitas non ipſa hominis cum Deo amicitia, ſed erit habitus iuſtitię quo reddimus Deo ea omnia, quæ ab eo accepimus propter amorem, quem erga Deum ipſum habemus. non enim hęc ſecunda Platonis definitio formam, ſed cauſam dicit, hunc enim amorem quem Plato amicitiam uocat, ſanctiſſimi uiri charitatem appellant, quę habitus eſt uel amor, quo mouemur ad fruendum Deum propter ipſum deducitur enim charitas a χάρις gręce quę latine eſt tum amor, tum gratia. uerum charitas dicitur a gratia: nam gratia multis debet, primo enim Deo in quo eſt prima & principalis debiti reddendi ratio: quippe cum Deus omnium eorum bonorum, quę in nobis ſunt, prima & principalis cauſa ſit poſtea parentibus, qui ſunt generationis noſtræ, atq; diſciplinę, proximum principium deinde ijs perſonis qui nobis pręſunt, e quibus publica beneficia proficiſcuntur quattuor ijs hominibus, qui priuata nobis beneficia contulerunt, charitas uero ſolum in Deum refertur: cum ſit amor, quo Deum amamus, propter ipſum quoue mouemur ad eum fruendum: Quo etiam ſi laudabilia agimus, id prodeſt nobis ad ſalutem. at ſi omnia ſine eo agerimus, quę uirtutis ſunt, nihil nobis prodeſſet, ſanctitas ergo non ipſa amicitia hominis ad Deum eſt, ſed uel propter amicitiam, quæ nihil aliud q̃ charitas eſt. hanc rem ille gentium ſapientiſſimus magiſter ita indicat, cum inquit, ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum. ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt ſub audi ad ſalutem. qua ratione fit ut nemo poſſit boni ſimpliciter quicquam ſine hac Dei amicitia, atq; charitate agere: etiam ſi nudum ueſtierit, famelicum ſaturauerit & aliquid id genus fecerit: Nam ſi (ut Ariſto. octauo ethicorum affirmat) uera uirtus eſt, diſpoſitio perfecti ad optimum, ſic nulla uera uirtus eſſe poterit ſine charitate. quæ eſt amor, uel amicitia, ad ipſum ſimpliciter bonum, quod eſt Deus, poteſt tamen aliqua uirtus eſſe in aliquo homine non ea ratione, qua charitate caret, aut qua charitatem habet, Sed uel qua aliquod donum ab ipſo Deo accepit ſaltem naturæ bonum quod non omni ex parte propter ſcelera ipſa ammiſit, hoc enim pacto poterit aliquis ſine charitate ad uirtutem aliquem actum exercere, & ſi non ſimpliciter bonum, ſaltem bonum in genere, nam licet deſit debita ordinatio in ultimum finem, cuius amore cuncta agere debemus: non deeſt tamen ſui generis bonitas. non enim eſt abſq; ordine in aliquem particularem finem quem ut particulare bonum amamus, hoc enim ordine in particularem finem (quod eſt donum, atq; aliquod naturę bonum) propter ſcelera homines non caruerunt, patet igitur ex ijs neminem ſanctum eſſe qui non habet cum Deo amicitiam: hoc eſt charitatem atq; amorem cum quo licet nec conuiuere, nec conuerſari poſſimus. ſecundum exteriorem naturam, quæ corporea, atq; ſenſitiua eſt, ſecundum tamen ſpiritalem uitam, quæ mente agitur, cum Deo & conuictus & conuerſatio eſſe poteſt, firmatur autem hęc hominis ad Deum amicitia ſuper beatitudinem quæ eſt communis Deo, & hominibus qui ſanctitate emi-

cant,ideo in huiuſmodi charitate triplex amicitię ratio reperitur, honeſti quidem, quoniam beatitudo ſumma atq; honeſtiſſima bonitas eſt. Iocundi uero, nam auctore Ariſto. boni & abſolute & ſibi mutuo ſunt iocundi at Deus*, atq; ſancti conſimili bonitate ferè boni eſſe uidentur utiles deniq;,quoniam boni ſunt ſibi inuicem, utiles hactenus de ſecunda ſanctitatis definitione.*

De tertia ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.

T*Ertia uero ſanctitatis definitio ſecundum* Platonem *erat, ut ſit ſanctitas cura* Deorum,*dixit autem* Deorum *cum unus tantum ſit* Deus*, more gentilium, qui* Deum *& angelos deos appellarunt.horum curam ſanctitatem eſſe aſſerit.eſt enim multiplex cura: alia, quę ad equos ſpectat,ut equeſtris: eſt enim equeſtris facultas equorum cura.alia ad canes,ut uenatoria, alia ad boues, ut* Buccolica*, quæ uero ad* Deos *ſpectat, hęc eſt ſanctitas,uerum non eadem ratione ſanctitas eſt* Deorum *cura, qua equeſtris equorum, equeſtris enim bonum ac utilitatem equis affert.ab equeſtri enim equi iuuantur,ac meliores euadunt,& canes a uenatorum peritis, & a* Buccolica *boues,& reliqua cuncta ſimiliter:* Sanctitas *uero cum dijs non proſit,nec meliores efficiat. fit ut non eodem modo cura ſit* Deorum,*quo & equeſtris equorum: erit igitur eo modo ſanctitas* Deorum *cura, quo ſerui dominos curant,* Quare *miniſtra quædam* Deorum *(ut uidetur) cura hęc erit.non tamen ea ratione miniſtra qua medicinalis facultas ad ſanitatem,nec qua facultas,quę naues conſeruit ad nauium fabricam,nec qua facultas edificandi ad domorum conſtructionem miniſterio fingit, qua ratione fit ut ſanctus ſit* Deorum *miniſter ea ratione qua dijs miniſtrat,ſacrificia atq; uota; & grata loquendo & agendo.*

De quarta ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.

E*X ijs ſequitur quartam ſanctitatis definitionem quę a* Platone *aſſignatur eſſe recte aſſignatam, cum ait ſanctitatem eſſe ſcientiam uouendi atq; ſacrificandi: ſanctus enim uouendo petit,ſacrificando dat,quid enim petit a deo ſe ipſum,quid deo dat,ſe ipſum,ideam enim ſui quę in diuina mente eſt, petit, quam &* Mercurius *a* Periandro *petijt,dat autem naturam ſuam,quæ ideę particeps eſt.*

De quinta ſanctitatis definitione ſecundum Platonem.

QVoniam uero ſanctus uouendo petit a deo, ſacrificando uero deo dat, fit ut ſanctitas mercatura quędam mutua ſit inter deos & homines, mercatura enim eam nominare lubet, non autem ea ratione mercatura, qua & mercatores mutuo accipiunt, & dant: nihil enim nobis boni eſt, quin illi prębeant, quę uero a nobis accipiunt, quod illis conferunt, non enim ijs quę dij a nobis accipiunt, aliqua ex parte iuuantur, quare ex hac ratione ſanctitas mercatura quędam mutua eſt inter deos & homines, qua omnia bona ab illis homines ſuſcipiunt, & eis honorem, uenerationem, & ut modo dixeram, gratiam reddunt. fit igitur ut ſanctus ſit deo placitus atq; amicus, qui enim honorem, uenerationem, & gratiam reddit deo, is placet, & deo amicus eſt: hæc in euthiphrone de ſanctitatis definitionibus Plato.

De pietate quæ ſanctitatem antecedit ſecundum Platonem.

NVnc de pietate diſſerendum, de qua non una ratione loquuntur Auctores, Aſclepius, qui Triſmegiſti auditor fuit, inter pietatem & religionem nullam fecit differentiam. Marcus autem Tullius Libro ueteris artis inquit pietas eſt per quam ſanguine coniunctis patrięq; beniuolis officium, & diligens tribuitur cultus, nonnulli uero eorum qui in libro decimo de Ciuitate Dei ſacris rebus elaborarunt, ut Aurelius uir omni doctrina egregius, non niſi erga Deũ pietatẽ extendit, aſſerens quod pietas proprie Dei cultus intelligi ſoleat, quam gręci euſebiam dicunt: alij autem ſumma doctrina uiri aſſeruerunt pietatem primo erga deum habendam eſſe, quippe qui ſummum bonum eſt & in nobis eſſendi, atq; gubernandi primum principium, deinde parentibus atq; patriæ e quibus etiam ſecundario. ſummus atq; gubernamur, & quia conſanguinei eo dicuntur quo ex eiſdem parentibus proficiſcuntur, ueluti octauo ethychorum tradit Ariſtoteles fit, ut in pietate, quæ erga parentes habentur: etiam pietas contineatur, quæ erga conſanguineos intelligitur ſimili ratione in pietate erga patriam, intelligunt pietatem erga ciues, atq; amicos. At Plato pietatem nihil aliud eſſe autumat q̃ Dei agnitionem; quę ſanctitatem pręcedit, quid ſit autem ἐυσέβεια id eſt pietas Hermes eadem definitione deſcribit, cum inquit, ἡ γὰρ ἐυσέβεια γνῶσις ἐστι τοῦ θεοῦ, hoc eſt pietas enim agnitio dei eſt nam, ut inquit una cuſtodia pietas eſt, pium enim hominem, nec demon malus nec fatum tenet. nam deus liberat pium ab omni maloq;, unum quidem & ſolum in hominibus bonum ſit pietas. & quoniam pietas eſt dei agnitio. Ideo ſanctitatem excitat, ſanctitas uero pietatem confirmat atq; ſancit: qui enim deum cognoſcit ſe natum eſſe ad fruendum deum nouit, qui uero ſe natum eſſe ad fruendum deum pręuiderit, mouetur ad ſanctitatem quę habitus eſt, quo ea omnia deo reddimus, quę ab eo accipimus. ſanctitas uero, ideo pietatem confirmat ac ſancit, quoniam ſanctus deo ipſo agnito, quę ab ipſo accepit retribuit, non poteſt autem quæ ab eo accepit, retribuere niſi iterum Deũ

parentem noſtrum eſſe agnoſcat. recte ergo Plato aſſerit ſanctitatem confirmare, atq; ſancire pietatem ipſam.

De religione quę ſanctitatem ſequitur.

QVoniam uero ſanctitas religionem mouet, ideo, quid ſit religio, Plato exponit, cum ait religio eſt eius quod deo redditum eſt, aſſidua meditatione iuſtisq; o[p]eribus indiſſolubilis cum ipſo deo religatio, & quoniam cum deo eſt religio ipſa indiſſolubilis religatio, recte ut plutarchus affirmat, fit ut religio ſcientia ſit diuini cultus, nam iuſtis operibus, aſſiduaq; meditatione, cum ipſo deo quotidie nos religando, ſcimus Deum colere, atq; ei ſeruire, quare pietas ſanctitatem mouet, ſanctitas quoq; religionem, prius enim hoc, uel inſtinctu, uel inſpiratione, uel admonitione opus eſt, quo Deum unum eſſe noſtrum parentem fide indubia cogitemus, quam, pietatem eſſe diximus, cum quis iſta concepit, mox omnem mentis, & rationis intentionem in Deum noſcendum aman dumq; figit, quam rem Mercurius ſanctitatem eſſe affirmauit ex hac flagranti in Deum intentione, mẽtisq; ardore fit, ut omnia Dei opera inſtituta, mandata meditemur, exerceamusq; & aſſiduo ſtudio quicquid ad eius uenerationem pertinet, religemus, quam ob rem nos ipſos relegendo religantes deo religioſi ſimus. quod ſi ita fuerit, ex pietate, ſanctitate atq; religione una fit connexio, ueluti triplex funiculus quem difficile eſt ſoluere, quoniam ut diximus, pietas ſanctitatem excitat, ſanctitas pietatem confirmat ac ſancit, ſanctitas quoq; religionem mouet, religio religat ſanctitatem. hęc ex Platone aperte accipiuntur, qua ratione fit ut religio ipſa ſine metu tueri, aut cuſtodiri non poſſit quo enim non metuitur, contemnitur, quod contemnitur utiq;, non colitur, ita fit ut religio, & maieſtas, & honor metu conſtet. Metus autem non eſt ubi nullus iraſcitur. ſiue igitur gratiam deo, ſiue iram, ſiue utrumq; detraxeris, religionem tolli neceſſe eſt, ſine qua uita hominum ſtultitia, ſcelere, immanitate repletur, multum enim refrenat: homines conſcientia, ſi credamus nos in conſpectu Dei uiuere, Si non tantum, quę gerimus uideri deſuper. ſed etiam quæ cogitamus, aut loquimur, audiri a deo putemus. proficiſcitur autem metus ex dei agnitione, qui enim Deum cognoſcit, Deum timeat neceſſe eſt, quod eleganter in ſanctionibus dictum eſt, qui enim Deum non cognoſcit, (quod ad ſapientiam attinet) Deum non timet, ſicuti qui non regem agnoſcit, regem nequaq̃ timebit, quare ſi quis tollit dei agnitionem, tollet pietatem, qui uero pietatem ſanctitatem quoq; qui deniq; pietatem & ſanctitatem, dei metum etiam delebit, quare & omnino religionem, tollet: qua ſublata, confuſio ac perturbatio uitę ſequitur, qui enim religionem non ſuſcipit, hic a natura hominis alienus uitam pecudum ſub humana ſpecie uiuit.

De queſtione Platonis.

Sed

SEd mouet Plato queſtionem, utrum ſanctum: quia ſanctus eſt, a dijs amatur, uel quia a dijs amatur, eſt ſanctum? ex ijs quæ dicta ſunt, facile queſtio diluitur, nam ſi ſanctitatis ratio in ipſa retributione atque deuotione conſiſtit, licet ſanctum ſit, quod amatur a Deo: tamen nó quia amatur a deo ſanctum eſt, non enim ratio eius, quod eſt amatum eſſe, & eius quod eſt ſanctum eſſe, una eſt nam amatum a Deo, eo ipſo quo eadem amatur a Deo, a Deo amatum eſt non autem quia amatum a deo eſt amatur. At ſanctum oppoſito modo ſe habet, ſanctum enim quia tale eſt, ut ametur, amatur, et amatum eſt a deo, quare non quia amatur a deo ſanctum eſt: ſed uel quia ſanctum amatur a deo. quod ſi occurres, quia nemo ſanctus eſt, quin ſit prædeſtinatus ad ſalutē, Nemo autem ad ſalutem prædeſtinatur, quin ab ipſo deo diligitur atque ametur, ergo nemo ſanctus eſt niſi quia amatur a deo, quare quia a deo amatur, unuſquisq; ſanctus erit. Hęc queſtio aduerſus Platonem non paruam habet difficultatem, ſed quoniam diſputare de ea eſſet egredi propoſito noſtro, ideo ad noſtra theologica te mitto, ubi intelliges utrumque uerum eſſe, & quod ſanctum ſit, quia amatur a deo: & quod econtrario. quia ſanctum ametur a deo. Alia tamen atque alia ratione, quam nunc non opus eſt agredi.

De ſanctitate ſecundum Ariſto.

ARiſto. uero grecorum ſapientiſſimus libro ethicorum ſeptimo ſanctitatem heroicam uirtutem autumat, qua homines dij fiunt. & quoniam Diagora, Theodorus, Leucippus, Democritus cęteriq; Epicurei ſanctitatem, atq; heroicam ipſam uirtutem ſubſtulerunt, Ariſtotiles loco a contrarijs ſic uirtutem heroicam eſſe argumentatur, tria ſunt quę circa mores ſunt fugienda, uicium, incontinentia, & immanitas, ergo circa mores tria ſunt amplectenda uirtus quæ uitio opponitur, continentia, quæ incontinentie aduerſatur, & ſanctitas, ſiue uirtus heroica: quæ immanitati, ac prophanitati contraria eſt. hanc autem eſſe ſanctitatem ita exponit, hanc conuenit dicere quæ eſt ſupra nos, heroicam in quam quandam atque diuinam, ut Homerus de Hectore, quoniam eximia bonitate, pręſtabat, dicentem, Priamum introduxit,

Nec iam hominis ſane mortalis filius ille eſſe uidebatur, ſed diuo ſemine natus, deinde concludit, cui ſanctitas opponitur (primo) & dicit quare ſi ex hominibus, ob uirtutis exuperationem (ut aiunt) dij fiunt, talis quidem is habitus fuerit, qui feritati opponitur: tu uero ſubintelligas: Primo, quoniam ſanctitas aduerſatur omni ei, quod circa mores eſt fugiendū, uidelicet & uitio, & incontinentiæ & immanitati, primo tamen aduerſatur immanitati quę eſt longe magis fugiendo quam incontinentia, & uitium, poſtea exponit, quo nam modo heroica hęc uirtus ſit præſtabilior uirtute, & inquit, & enim ut feræ neq; uitium eſt, neque uirtus, ſic neque Dei, ſed hoc quidem, pręſtabilius eſt uirtute, illud autem diuerſum quid eſt a uitio genus, quare ueluti feritate homines euadunt beluę ferę, atque immanes, ſic uirtute heroica homines euadunt dij hoc eſt ſancti, atque heroes: Eſt

enim heroica ipſa uirtus, ſupra humanam uirtutem uirtus, & homo igitur qui hac uirtute pollet ſupra homines heros.

Quæ Euſtratius de heroica uirtute atque ſanctitate.

EVſtratius uero librorum ethicorum Ariſto. egregius interpres humanam naturam in medio diuinarum ſubſtãtiarũ, & belluarum conſtituit, habet enim mentem qua cum diuinis ſubſtãtijs & cum ſentiendi, qua cum belluis cõmunicat. Quare cum homo ea parte qua cum dijs communicat, ultra communem modum humanę perfectionis perficitur, quaſi in ſimilitudine. ſubſtantiarum diuinarum, quas gentilitas Deos appellauit, Deus, heros, ſanctus fit, cum uero ea parte, qua cum mutis animalibus conuenit ad belluarum peruerſitatem attingit, tunc bellua fera, atque immanis euadit, quod ſi medio modo ſe habuerit, ad neutrum extremorum declinando: tunc humana uirtute affiatur, eritq́; homo hoc pacto, non Deus, non heros, non ſanctus, ſed uirtute humana affectus. Qua ratione fit ut uirtus heroica & ſanctitas, & deitas, idem ſit, nam cum habet ad eam perfectionem uehitur, quæ excedit humanam uirtutem euadit heros, hoc eſt ſemideus, ſanctus, hoc eſt ſenſibus ſuis, appetituq́; ſenſuali penitus, prędominans, ſenſualis enim appetitus in hac perfectione conſtitutus a deo rationi aſſuetus eſt, ut nihil ultra appetat q̃ ratio dictat. euadit etiã deus, non quidem ſubſtantia atque natura, ſed uel ſimilitudine, aut ſecundum opinionem gentilium, qui crediderunt mortales homines uirtutibus fieri poſſe deos, uitijs uero, belluas, atque prophanos, & immanes, ſequitur etiã ex ijs ut heroica ipſa uirtus non genere aut ſpecie ab humanis uirtutibus interſit, hoc eſt a fortitudine, manſuetudine, temperantia, cęterisq́; id genus, ſed uel ſolo exceſſu, nam uirtus, qua quis fortis eſt, ſupra fortem omnem, heroica eſt, atque diuina uirtus eſt, uirtus etiam qua quis temperans eſt, ſupra temperantem, omnem heroica ſimili ratione erit, eodem modo de cęteris uirtutibus. Inſuper deducatur omnem uirtutem fieri poſſe heroicam ut liberalitatem heroicam, manſuetudinem heroicam & cęteras id genus, cum uidelicet in homine ſupra communem modum uirtutum humanarum fit.

De exceſſu quo uirtus heroica excellit humanam uirtutem.

QVid uero exceſſus ſit, quo heroica uirtus humanam uirtutem excellit, nec Ariſto. expoſuit, nec Euſtratius dilucidauit, non enim eſt gradus, quo una qualitas dicitur, altera qualitate maior aut intenſior, nõ enim poteſt eſſe uirtus altera magis q̃ altera in medio extremorũ. Quare dicamus omnẽ uirtutẽ in bonũ eſſe ordinatã quippe cũ omnis actio, ut Ariſto. inquit bonum quoddam appetere uidetur. omne autem bonum principaliter finis eſt quare ſi uirtus ordinetur in ultimum finem qui ſecundum ueritatem eſt dei fruitio & ſummum bonum, ſic uirtus eſt heroica & diuina quam Plato ſan-

ctitatem

titatem uocauit. Liberalitas enim cum ordinatur in dei fruitionem uirtus eſt heroica diuina qua ſancti homines euadunt, ſimili ratione & manſuetudo & temperantia, & quęuis alia uirtus: quęuis enim harum ſi in ultimum finem ordinetur qui eſt ſimpliciter & ſummum bonum heroica uirtus habetur, & quoniam hęc ordinatio qua actiones noſtras in ultimum finem dirigimus nihil aliud eſt q̃ amor quo mouemur ad Deum fruendum. amor autem quo ad Deum fruendum incitamur, charitas eſt, ut uiri religione pręcipui expoſuerunt fit, ut exceſſus quo heroica uirtus uniuocam, ſibi uirtutem, exuperat, ſit charitas qua mouemur ad agendum ſecundum uirtutes, ut diuina bonitate fruamur. At ſi uirtus qua agimus ordinetur in Deum ſub ratione qua eſt obiectum infidelitatis, modo uidelicet, quo maumetis ſectatores dirigunt, aut alij qui de Deo ueram agnitionem non habuerunt. hoc pacto omnis actio erit peccatum cum non ordinetur in ultimum finem. ea uidelicet ratione qua eſt obiectum uerę fidei, & ſi uirtus qua agimus ordinetur in particularem finem non qui eſt re ipſa bonum, ſed apparens etiam uitium erit, ſicuti non eſt uera uirtus auarorum prudentia qua excogitant diuerſa. Lucrorum genera, auarorum iuſtitia qua grauium damnorum metu aliena contemnunt, auarorum temperantia qua luxurię quę ſumptuoſa eſt quolibet appetitum, & auarorum fortitudo qua, ut ait Horatius per mare pauperiem fugiunt per ſaxa, per ignes, & ſi uirtus qua agimus ordinetur in particulare bonum ut eſt ciuitatis ſalus. erit profecto uera uirtus imperfecta tamen. non enim refertur in finale & perfecte bonum, qui enim ſic agit non charitate. ſed quo habet naturę bonum quod non omni ex parte propter ſcelera eſt ablatum agre uidetur. exceſſus ergo quo heroica uirtus uirtutem ſibi uniuocam excellit charitas eſt, & ideo heroica uirtus tantum uniuocam ſibi uirtutē exuperat, quantum charitas, quæ amor eſt diuitię fruitionis exuperat amorem, quo mouemur in particularem finem charitatem. uero hanc nemo Plato, nec Ariſtoteles, nec Euſtratius cognouit, ſed ſub quadam confuſa & obſcura nomenclatura eam balbutierunt.

De peripatetica pietate quæ heroicam uirtutem antecedit.

QVoniam pietas, ut Plato autumat, ſanctitatem antecedit, eſt autem ſanctitas (ut diximus) heroica uirtus, fit ut pietas heroicam ipſam uirtutem antecedat, uerum pietas alia ratione deſcribitur a peripateticis, nam (ut peripatetice loquar) pietas nihil aliud eſt, q̃ agnitio finis: cuius gratia homo factus eſt. At finis cuius gratia facti ſumus, duplex eſt, alter ultimus, & ſic pietas, cum in ultimum finem fertur eſt agnitio Dei: cum uero medium finem reſpicit eſt agnitio uirtutis heroicæ quæ in nobis cum acquiritur ad eam pietatem paramur, qua homo eſt heros medius inter mortales, & Deos quod autem heroica ipſa uirtute paremur ad eam pietatem quę Dei agnitio eſt, perſpicuū eſt. cum enim homo ad eam perfectionem uehitur quę excedit humanam uirtutē, heros euadit, hoc eſt

O ut ita

ut ita loquar Semideus. Inſuper euadit ſanctus, hoc eſt ſenſibus finis appetitiuiq; ſenſualis penitus prædominans. ſenſualis enim appetitus in hac perfectione conſtitutus adeo rationi parere uidetur, ut nihil ultra appetat quam ratio dictat, at cum homo heros atque ſanctus euaſerit ſenſualis appetitus menti adeo unietur, ut ex eis quaſi una facultas ſit facta. cum uero ex appetitu ſenſuali & mente fit una facultas mox hęc facultas Deum agnoſcet atque fruetur. Sed quæ cognitio finis antecedat queue ſe ultimum finem comitetur exponamus, non enim una eademq; cognitio eſt, nam agnitio finis quæ prędedit confuſa, ut ita loquar atque uniuerſalis eſt: eſt enim finis confuſe atque uniuerſaliter expetitus quippe cum eo modo finis appetatur quomodo prænognoſcitur & econuerſo, & quia finis confuſe atque uniuerſaliter appetitur ideo uniuerſaliter, ut ita loquar, atque confuſe pręcognoſcitur, non enim appetitur hic uel ille finis ſed finis ideo non hic uel ille finis pręcognoſcitur. Quare peripatetica pietas agnitio finis eſt, non diſtincta atque, ut metaphyſicæ loquar intuitiua ſed confuſa atq; uniuerſalis hęc itaque agnitio pręcedit, agnitio uero quę comitatur diſtincta eſt atque intuitiua qua finis agnoſcitur agnitione quæ eſt ipſe finis, cum enim finem agnoſcimus in ſe diſtinctę atque intuitiuę agnitione comprehendimus quę eſt in ſe finis. Quid igitur ſit peripatetica pietas ex hiſce perſpicuum eſt, poſt hęc de amore qui pietatem ſequitur & heroicam uirtutem antecedit diſſerendum.

De amore qui pietatem ſequitur & heroicam uirtutem, atque ſanctitatem antecedit.

CVm itaque amor fruendę pulchritudinis, ut Plato inquit, deſiderium ſit. deſiderium autem agnitionem ſequitur ut umbra corpus fit, ut amor ſequatur pietatem quæ eſt agnitio finis. pulchritudo autem ſplendor quidam eſt qui humanum animum ad ſe rapit fit, ut amor ſit fruendi ſplendoris deſiderium. ſed quoniam ſplendor multiplex eſt alter in corpore qui in colore figura, linearumq; decore collocatus alter in animo qui in doctrina atq; morum concinnitatę habetur, tertius autem in diuinis ſubſtantijs conſtituitur qui in bonitate atq; perfectione intelligitur fit, ut amor qui fruendi corporei ſplendoris eſt ad aſſequendam ſanctitatem atque heroicam uirtutem impedimento nobis ſit, capit enim animum & diuertit ab ipſo fine, amor autem eſt & qui fruendę diuinę bonitatis eſt & qui fruendę pulchritudinis quæ in animum eſt parat ad ſanctitatem & ſequitur pietatem nec tantum ad ſanctitatem, uerum etiam concitat animum ad religionem quę diuini cultus, ut Plutarchus aſſerit. ſcientia eſt hic fortaſſe eſt quem theologi charitatem uocant, peripatetici autem amorem fruendi finis.

De temporibus quibus heroica uirtus, ſanctitasq; ipſa floruit.

NVnc quibus temporibus heroica uirtus atq; ſanctitas floruerit exponamus. non enim omnibus temporibus inualuit, temporibus itaq; diſcipulorum domini heroica uirtus ſanctitasq; ipſa plurimum ſpectata eſt. Illis enim temporibus uirtutum dominus, uitæq; dux ſuæ conuerſationis odore totum reſpexit orbem. tunc enim fortes temperantes, liberales, magnifici, magnanimi ueraces, iuſti, manſueti, heroici, atq; ſancti, fuere. nec iniuria profecto nam ad res mortales & ad horas tranſitorias quæ ſupra nos non ſunt, non eſt heroica uirtus, nec ſanctitas, ſed ad diuinas ad quas toto mentis conatu ferebantur quippe qui caducas & quicquid ſuę ſortis neglecta dignitas propriaq; ignorantia ſolet magnum uideri calcabant ut opes diuitias, honores. nihil enim ſenſibili in hoc mundo magnum eſt preter mentem, ut Plato inquit, quæ ſola diuinorum eſt capax, illis etiam temporibus propter hæc quæ diximus ſola magiſtri uitę precepta cogitabant nullaq; eis alia ſtudia placebant. Quare temporibus illis cœleſtes heroes cum hominibus conuerſabantur quadam uitæ conformi bonitate allecti, hactenus de ſanctitate.

EIVSDEM AVGVSTINI NIPHI MEDICIS. de prophanitate Liber ſecundus.

De prophanitate ſecundum Platonem.

QVoniam uero prophanum, ut Plato autumat ſancto aduerſatur ſi ſanctitas habitus eſt quo homines inclinantur ea omnia Deo tribuere, quæ Dei ſunt, prophanitas habitus erit quo homines inclinantur a Deo ea omnia negare quæ ſunt Dei mentem uidelicet ac rationem. ſi ſanctitas eſt hominis ad Deum amicitia prophanitas erit odium hominis ad Deum ſi ſanctitas eſt cura Deorum prophanitas erit Deorum contêptus, atq; negligentia, ſi ſanctitas uouendi atq; ſacrificandi ſcientia eſt prophanitas erit ſacrificandi atq; uouendi ignoratio. ſi ſanctitas eſt inter Deos & homines, mutua quædam mercatura prophanitas erit eorum quæ Dei ſunt, ut ita dixerim, rapina atq; furtum ac ratione fit, ut prophani impij ſint atq; irreligioſi, & ſi prophani impij atq; irreligioſi ſunt, prophani nimirum ab hominum natura erunt alieni qui uitam pecudum ſub humana ſpecie uiuunt, inſuper erunt & immanes qui feritate gaudebunt.

De prophanitate ſecundum Ariſtotelem.

QVid uero prophanitas ſit ſecundum Ariſtotelem non eſt clarum illud tamen primo accipiendum quod Plato prophanitatem. Ariſtoteles nunc immanitatem, nunc feritatem dicit. prophanum enim (ſancto ut diximus) contrarium eſt. immane autem heroico, ſed cum perſpicuum ſit ſanctum eſſe heroicum ſit, ut prophanum ſit immane quare prophanitas erit immanitas ſiue feritas. ſi igitur ſanctitate homines fiunt dij. Sancti atq; heroes prophanitate immanes atq; feræ euadent quod profecto Py-

thagoras intellexit, cum migrare animos de corporibus in corpora aſſeruerit. iſtud enim migrare allegoricæ dictum eſt, nam homo interdum uſq; adeo in ſenſualem appetitum conuertitur, ut non homo, ſed bellua ſit. eius enim anima non amplius rationis particeps eſt, ſed omni ex parte ferina atq; ſenſualis.

De triplici prophanitatis genere ſecundum Peripateticos.

VErum prophanitas, aut, ut peripateticæ loquar, immanitas, non una ratione eſt. nam triplex ſecundum Ariſtotelem immanitatis genus eſt. una enim immanitas eſt naturalis, altera egritudinalis, tertia uero moralis, naturalis quidẽ ea immanitas eſt quæ & peruerſitate naturæ a generatione ipſa contrahitur. hoc enim immanitatis genere immanes ſunt Barbari omnes, peruerſitatem enim eius naturæ quam ex ortus principijs contrahunt, immanes ſunt omnes atq; prophani ueluti efferatę gentes ſunt quę circa pontum incolunt. harum enim nonnullę crudis, nonnullæ humanis carnibus delectantur, aliæ uero tradunt ad inuicem natos ut in conuiuijs comedantur, egritudinalis uero quę ex egritudine proficiſcitur. hoc immanitatis genere Aiax atq; Bellorophontes, ut Homerus demonſtrat, laborarunt, fuit etiam quidam, ut Ariſtoteles inquit, qui mactauit matrem atq; comedit, qui etiam cum ſerui iecur uorauit. de his duobus generibus nos non loquimur, cum huiuſmodi immanitates heroicę uirtuti non aduerſentur, moralis uero immanitas ex peruerſorum actuum uſu nobis oritur, hoc profecto immanitatis genere ea mulier erat immanis quam ferunt prægnantium uiſcera reſcindere, pueroſq; comedere. Phalaris etiam hoc immanitatis genere famoſus fuit, oritur autem hoc immanitatis genus, ut Ariſtoteles demonſtrat, ex conſuetudine ueluti nonnulli ex conſuetudine euellere ſibi pilos corrodere ungues carbones, aut terram comedere & cum maſculis coire delectantur, quoniam a pueritia ſunt conſueti: adiuuat autem ad huius rei generationem uiuere atq; conuerſari cum Barbaris. hi enim, ut Ariſtoteles monuit prauis moribus ſunt, qui hus immanes fiunt omnes & qui ſecum uiuunt corrumpunt, conuertuntq; in feras.

In quo differt prophanitas ſiue immanitas a crudeltate atq; truculentia.

QVoniam autem magna quędam ineſſe uidetur immanitati cum crudelitate cõmunitas prętereundum non eſt, quibus in rebus hęc ab illa differat. Itaq; crudelitas, (quę in nullo differt a truculentia, niſi quia truculentus eſt, qui uultu crudelitatem pręfert, alioſq; terret, ut Terentius indicat,) uindictam magis ſequitur. immanitas uero ſiue prophanitas impetu potius rapitur. Rurſum crudelitas non eſt electione uacua, immanitas autem ſiue prophanitas ſponte ſua fertur potius. Ad hęc crudelitas

legem humanam, ritusq; tantum honeſtos transgreditur: immanitas autem non modo leges humanas tranſgreditur, ſed per eam ab homine deſciſcitur, fitq; ad beſtias etiam monſtruoſas, atq; illarum rabiem tranſitio. Quin immo etiam immanis atq; prophanus in quibusdam eſt belluis maior ac uiolentior. Quę nam enim enumero beſtiarum mater inuenta, quę fœtum medicamentis adhibitis ex utero eiecerit? Aut (ne partitudo ipſa palam fieret) in cloacas ſuffocauerit editam prolem? aut uiuam tellure ſuffoſſa, condiderit? Pręterea immanitas ſiue prophanitas puerilem in modum nonnunq̃ ipſum crudelitatem ludum ſibi conſtituit: in quo exiliat, uoluptatem ſolam e ſaguinolentia quęritans. Claudius auguſtus gladiatorijs in muneribus, qui fortaſſe prolapſi eſſent, iugulari iubebat, quo expirantium ora ac faciem cerneret, quin & ipſe aderat tormentis queſtionum, ſpectabatq; ſumma cum uoluptate cruciatus ac pœnas. Mahometus turcarum imperator conſueuit poſt uictorias ac prędas e captiuorum numero nunc pluribus, nunc paucioribus in conſpectum ſuum adductis edicere in fruſtra uti conciderentur, ſpectatorem ſeſe ludi eius exhibens. Maſius Barreſa Brutijs cum exercitu prepoſitus a Ferdinando primo rege, iuſſit quosdam non contentus a lege conſtitutis ſupplicijs ſerra per lumbos adacta ſecari. Potuiſſet uideri imitatus Caium Cęſarem, qui non paucos ſerra medios diſcerpſit: uerum ignorauit Maſius omnino literas. Quibus perſpicuum neminem immanem uel prophanum eſſe, qui non & crudelis ſit. Poteſt uero quiſpiam crudelis eſſe, qui non eſt immanis.

Claudius Auguſtus

Mahometus

Maſius Barreſa

Moralem immanitatem proficiſci interdum ab iniuſtitia.

MAnare autem immanitatem ab iniuſtitia e fonte quaſi quodam, nemo eſt qui dubitat. Quid enim iniuſtius eſt, q̃ erga Deum ingratitudine uti? erga patriam impotentia? erga parentes, filios, cognatos, amicos impietate? inconſtanti ac fluxa fide erga eos, qui publicam rem adminiſtrent, & cui iureiurando ſis obſtrictus.

Moralem immanitatem aliquando proficiſci a nimio rerum futurarum metu.

QVod etiam interdum a metu immanitas proficiſcatur, Egypij reges declarant: qui conſueuerũt (ut Ptolomeus narrat) per Mathematicos genituras eorum explorare, qui in lucem uenirent, quę ſi aduerſarij regum ipſorum genituris eſſent comperte, e ueſtigio natos occidi iubebant. Quo in genere fœdiſſima eſt Herodis illa iudęorum regis in tot infantes puerosq; carnificina, cuius ſuſpitioſſima uita, moresq; uariantiſſimi cum omnia pauet, cuncta formidat; eo illum adegere, ut in filios innocentiſſimos, in uxorem etiam maxime amatam efferuuerit. Nero ille, quem iure immaniſſimum uocitarũt (ne de alijs loquar ciuibus) Domitium Corbulonem, innocentiſſimum ſenatorem, ſolertiſſimum

ſimum ac feliciſſimum ducem, fortiſſimum ciuem romanum, quiq; parthorum auctoritatem maxime fregiſſet, attriuiſſetq; ſuperbiam, per fraudem occidi iuſſit, dum illius uirtutes ſuſpectas haberet: quas & magnificari ab eo par fuiſſet, & ob maieſtatem Romani imperij magis ac magis mihi atq; illuſtrari. Theodoricus romanorum Rex (licet pluribus uirtutibus eſſet clarus, cum Simachum & Boetium ob uirtutes inſignes ſuſpectos haberet, eos exacto conſulatus anno deferentibus Opilione & Claudentio factioſiſſimis ciuibus, Papiam relegauit, quos tandem aucta formidine occidi iuſſit.

Moralem immanitatem potiſſimum ab auaritia proficiſci.

AB auaritia uero, quę etiam plurimorum uitiorum fons eſt, immanitatem etiam proficiſci, pręſertim ubi fuerit ambitioni coniuncta, uirgilianum illud demõſtrat, quid non mortalia pectora cogis. Auri ſacra fames? hoc accipe non exiguum eorum eſſe numerum, qui dum paternę ſucceſſioni pauculos menſes dilationem ferre nequeãt parentes ſuos ſubſtulerint. Nicolaus Acteus ciuis noſter (ſi licet parua magnis comparare) dum ſuſpicaret Michaelem fratrem nummos patris clam ſubtraxiſſe, cum pugione tranſegit.

Moralem immanitatem ab impetu uenereo proficiſci.

QVod etiam ab impetu uenereo homines prophani ac immanes fiant, ſanguinolenta animalia declarant, nam moloſſici canes, quiq; maioris ſunt ſtatu corporis, canes minores quaſi alterius generis ob impetum uenereum morſibus diſtractos dilaniant: ſimili modo leones, urſi, tigrides, Elephanti, Lupi, cęteraq; id genus ueneris impetu ſeſe dilacerant. Homines igitur in feritatem delapſi uenereo ab impetu immanes fiunt. Itaq; non ſolum per ſanguinolentiam ac cruentationem uerum etiam per uſum libidinis. Hac ratione Anchemolus filius Rheti Matrubiorũ regis nouercã ſuã Caſperiã ſtuprauit: ut Virgilius libro decimo, inquit. Semiramis Ninum filium poſt mortẽ Nini patris in uirum ſibi coniunxit. Menephron (ut Oui. Meta. libro ſeptimo narrat) more ferarum cum matre iacuit. Biblis Caunum fratrem Mileti ex Ciane filium adamauit ibidem libro nono. Myrrha Cynarę Cypriorum regis filia rem habuit cum patre, & ex eo concubitu ſuſcepit Adonidem. Macareus filius Aeoli rem habuit cum ſorore Canace. Cleopatra a fratre (quem pro marito habebat) polluta eſt. Cydon etiam adamatus a ſorore. P. Clodius ſuas tres ſorores cognouit, Ideo ait Cicero. P. Clodium non pluris feciſſe bonam deam, q̃ tres ſorores. M. Antonius imp. conſuetudinem ueneris habuiſſe dicitur cum Fauſtina ſorore, ex qua Lucillam genuit, quam poſtea. L. Antonio fratri copulauit. A. Caracalla imp. Iuliã nouercam ſibi in uxorem coniunxit. Ptolemeus Euergetes Berenicem ſororem adamatam in matrimonium duxit. Theodoricus francorum

rum rex fratris à ſe interfecti filiam in uxorem duxit. Philippus frater Alfonſi decimi hiſpanię regis chriſtianam Dacię regis filiam, & fratris ſui uxorē ſibi per uim copulauit: ſpreta religione ac ſacerdotio cum eſſet Abbas, & presul hiſpalenſis. Ioānes Ariminenſis (ut de ijs loquar, qui temporibus noſtris uenereo impetu immanes facti) ſororem ſuam duxit uxorem. Et ne offendiculo ſimus aliquibus contemporaneis noſtris, qui ferino more ac immaniter cum ſororibus, matribus, & cęteris id genus libidine uſi ſunt, bona fronte pretermittimus. illos inter imanes etiam enumerauit Ariſtoteles pedicones, qui fortaſſe ſunt plusq̄ immanes, cum hi abutantur natura: qua nulla ferarum abutitur. Inter hos Ariſtoteles enarrauit Armodium & Ariſtogitonem Athenienſes, Qui mutua uenere utebantur. Cratinus Athenienſis Comędiographus de immanitate notatus eſt propter obſcenum in pueros amorem. hanc immanitatis notam non aufugit L. Quintius flaminius uir conſularis, nec Ibicus hiſtoricus patria Rheginus, nec L. Papyrius, nec Cęſar, nec Mamurra nec Phormianus talem notam euitarunt. ſunt qui accuſant philoſophos, ut Phędonem, qui cum Athenis adoleſcentulus eſſet in ſeruitute, a domino in lupanari conſtitutus eſt, ut proſtaret, & corpore faceret quęſtum. Vt Theophraſtum quem ferunt Nicomachum Ariſtotelis filium ad prępoſteram uenerem adamaſſe. Maledici inter hos notarunt Platonem, ſed q̄ hęc ſint philoſophis obſcęna, libri demonſtrant, in quibus huiuſmodi immanitates acerrime exploduntur. Nolo notare Reges, Principes, ac Sacerdotes, quos poſſem, ſi uellem, ne eos offendam qui iure uidentur defendendi.

De monſtroſis immanitatibus & primo de mulierum immanitate circa partum.

SVnt inſuper nonnullę immanitates, quę cum ſuperent ferinos mores, monſtroſæ dicuntur inter has ea immanitas eſt, quę mulierum eſt circa fœtus proprios, ſunt enim nōnullę mulieres, quę in partus ſuos tam impio debacchantur, ut (medicaminibus adhibitis) abortionem procurent aut prolem editam ſtatim exaniment, terręq; aut cloacis clam infodiant, Quod quidem prophanitatis genus ſacerdotes maxime attingit, quæ deo uirginitatem cum uouerint, pollutis tamen uotis, rituq; ſacerdotali periuranter atq; inceſto contaminato, grauidę factę (ne ſcelus pateat) execrabiliori conantur ſcelere idpſum prohibere ac corrigere, dum hoc immanitatis genus ſcelus perpetrantur. nec uero monſtroſa hac feritate ſacerdotes tantum, uerum etiam uiduę ac nubiles puellę, ſplendidiſſimęq; etiam fœdantur familię. Compertas audio etiam uxores, quæ (ut uiros hoc in iniuriarum genere infeſtarentur, aut illatas ab illis iniurias ulciſcerentur) in lucem uenientem prolem proprij; eliſerint manibus. Et quoniam cum hac immanitate nulla ferarum truculentia eſt comparanda iure monſtroſa immanitas appellatur.

De ea monſtroſa immanitate que eſt liberorum expoſitio.

INter monſtroſas immanitates enumerant etiam liberorũm expoſitionem, hanc enim nulla ferarum uiſa eſt facere. per multa tamen excuſare illam poſſunt, ut ſummæ rei familiaris tenuitas, que ſatis nullo modo ſit alendę ſoboli, ut euitandæ ſummę infamiæ gratia, quẽadmodũ de Romulo & Remulo narrãt hiſtoriæ, ut etiã ædis maternæ auertẽdę reſpectus, ob adulteriũ aut inceſtũ, quod ꝗuis ita ſit, ex ipſa tamen excuſatione crimẽ magis iminuitur ꝗ diluitur. quid enim immanius ꝗ parẽtes ĩ prolẽ ſeuire quę ope eorum orta eſt. nec modo inoſſicioſi ſunt, uerũ etiam impii, & carnifices. Tam & ſi ea occurri ratione põt, quę duobus e malis minus eligẽdũ eſt, cęterũ expoſitio ipſa duplex eſt, Altera cui propoſita ſalus eſt, Altera uero cui mors. Expoſitio cui mors propoſita eſt, (ut quę de Cyro refertur) ꝗ recipit excuſationẽ. Qui uero ſiue patres, ſiue matres ea cõditione liberos exponũt, ut partus ſaluos faciãt, digni ſunt laude. Qui autẽ ut infamias diffugiant, ac cruciatus, accuſandi, ꝙ uolentes crimen quidem aduerſus rectum honeſtumq́;, pręterq́; ciuiles leges, moresq́; bonos patrauerint, non tamen improbandi, ꝙ ſaluti conſulerent, cuius nobis a natura inſita eſt cupiditas ac ſtudium. huic rei proſpicientes chriſtiani loca quędam ſacra frequentiſſimis quibuſq́; in urbibus conſtituere, quæ hoſpitalia uocant, ad quę pueri, puellęq́; eſponendę noctu deferuntur, ac ſine arbitris, quo & expoſitio occulta ſit, & infantes expoſiti commode alantur, ac publice. Per hunc enim modum obuiam itur infamię pariter ac immanitati. quod igitur expoſitio, cui mors propoſita eſt, ſit monſtroſa immanitas, patet, nam illa fiebat in ſyluas, ut a feris partus deuorarentur. Huic propinqua expoſitio ea eſt, quæ fit ab Aethyopibus, quorum non exigua pars humano ueſatur ſangui . , dictiq́; inde Antropophagi. paſſim enim apud illos inuenies parentes, qui liberos frumento ducendæ uitæ gratia mutent cum mercatoribus, eosq́; pro uictu ſuo ſeruituti addicant.

De ea monſtroſa immanitate, quæ eſt circa religionem.

INter monſtroſas immanitates enumerant etiam impietatem quę nihil aliud eſt ꝗ error contra religionem. nam cum religio (ut inquit Plato in Phędone) ſit homini a natura inſita, nulleq́; tam ferè ſint, aut Barbarę nationes, quę aliquam religionis ſpeciem non obſeruent, fit, ut multiplex ſit immanitas, quę in impietate conſiſtit. in primo igitur ac maximo immanitatis genere uerſari mihi uidentur illi, Deum eſſe qui negant: aut ſi eſſe confiteantur cultum tamen illi ſuum, ut nullam habenti rerum humanarum curam, minime tribuendum cenſent, neue ab aliis tribuatur, & diſſuadent ipſi, & qua poſſunt etiam arte ac uia, prohibent. Verum ut dilucidius hęc monſtroſa immanitas pateat, illud annotatione dignum eſt; aduerſus religionem non uno tãtũ modo peccari. nam alii reperti ſunt, qui erga Deum ingratiſſimi fuerunt, reperiunturq́; quotidie non primates tantũ,

quiꝗ

quiq; potentatibus abutuntur, uerum infimi etiam ac plebei homines, & hi ſunt, qui defectu diuini cultus monſtroſa immanitate prophani habentur, nam in colendo Deo maxime impij ſunt, beneficiorum eius immemores. Quid enim aut naturæ hominis magis aduerſum, q̃ naturæ ipſi rebellem] fieri? aut quid eſt aliud perduellionis reum eſſe q̃ eripere ei uoluiſſe, cui omnia debeantur, ſuos honores, ſua iura, nullum deniq; eſſe eum dicere? Alij uero, qui exceſſu,' ac nimij cultus ſtudio immanitate etiam monſtroſa polluuntur. hoc pacto prophani ſunt, qui dum placare Deum uolunt, ſinguli tum homines, tum ciuitates ac populi hominem ipſum priuatis & publicis in ſacrificijs mactauerunt ac ſanguine eius aras imbutas conſperſerunt, ut Tantalus (qui in Phrygia regnauit) hic enim dijs hoſpitio ſuſceptis, Pelopem filium coctum membratim comedendum appoſuit, ut eorum diuinitatem experiretur. Apud Dianam Tauricam] hoſtiæ erant peregrini, & hoſpites. Apud Carthaginem annis ſingulis mactati hominis ſanguine Saturno diuina res fiebat. Quid diuina illa maieſtate, beneficentiaq;] indignius, q̃ dum ſanguine gaudere illum humano' putes hominem ei ideſt te ipſum ut iugules, ad aram conficias, mactes? O mores maxime ſanguinolentos, pietatemq; ſumme truculentam, O cultum feris ipſis quas imitaris, horribilem, ac formidandum? Catilina anteq̃ orationem habuiſſet ad populares ſui ſceleris, humani corporis ſanguinem uino permixtum in pateris circumtulit, eoq; ab ſingulis deguſtato aperuit ſuum conſilium. id ideo feciſſe creditum eſt (ut Saluſtius ait) quo inter ſeſe magis fidi forent alius alij tanti facinoris conſcij, ac ſi poſt eam execrationem, qui rem aperuiſſet, Deos iratos, infeſtosq; habiturus eſſet, fideiq; ac iuriſiurandi corrupti ultores. Refert tacitus conſueſſe Reges quoſdam, quoties ſocietates inirent, iunctis ſimul dextris, pollices inter ſe uincire, nodoq; perſtringere, atq; ubi ſanguis in artus ſuffuſus eſſet exteriores, leui ictu cruorem eruere, eumq; inuicem lambere, idq; fœdus arcanum haberi ſolitum, quaſi mutuo cruore ſacratum. Alij & tertij ſunt, qui inanibus quibuſdam, uaniſq; omnino ſuperſtitionibus Deos coluerunt. Nam & gentes quędam coluerunt Canes, Ibidesq; ut apud Ægyptios, quod ſerpentes, qui certo anni tempore ex Arabicis paludibus ſubuolant, obuiam profectis arcere conficereq; credatur. Apud Romanos Anſerem quod Capitolinam arcem, expergefactis clangore cuſtodibus, ab irruptione gallorum ſeruarit. Quin & auctore Prodico cio corpora quędam inanima pro dijs habita ſunt, ueluti Sol, Luna, Aqua, Terra, quod ad uitam conducere uiderentur, quod horum commoditate mortales maiorem in modum delectarētur. Scythę (quemadmodum in toxaride teſtatur Lucianus) per uentum et gladium tanq̃ per Deos iurāt, propterea quod ille ſpirandi ſit auctor, hic mortis. ſunt qui Deum ipſum ab hominibus uexari poſſe crediderunt, ſuiſq; illum e ſedibus anguſtoq; e Tribunali tentaſſe pellere, ac deijcere. inde fictum eſt Gigantes e terra genitos, remotiſſimisq; a cœlo locis, ꝙ ratione nulla prędıti, nullo ueræ cognitionis ductu ad uiolenta traherentur, actionesq; maxime impias ac deteſtabiles, quodq; non tam ince-

derent q̃ obſerperent, qui progreſſus animalium eſſet uenenoſiſſimorum ſerpentinis eos pedibus uel ſerpentibus ipſis potius pro pedibus uti dixere.immanes igitur gigantes non uaſtitate ſolum corporis ac deformitate,uerumetiam affectatione & impetu, At non immane,ſed Anile potius.Aut fortaſſe Dei de benignitate recte eſt ſentire,id ſibi perſuadere placari Deum placentula,aut mola ſalſa faſiculoue ſpicarum.Alij autem(quia parum uiſum erat eſſe regum maximorum,ac fortiſſimorum filios) humanę pudentes ſortis,ac pigentes regię prognationis,Deum ad adulteria euocarunt,uxoriasq; libidines, ut Alexander Philippi filius Salmoneum,& Iouis tonitrua effinxit,& diuinos ſibi honores exhiberi expoſtulauit.Quid aut dementius, aut immanius. nam ꝙ Scipio lętaretur, exultaretq;, Iouis dici atq; haberi ſe filium,hoc ad ambitionem potius q̃ ad immanitatem referendum uidetur.ſicuti ad dementiam uel furorem ma_i_, quę in hoc ipſo genere ab Caio,qui in Cęſarum ſucceſſit ſeriem,admiſſa ſunt plurima.uides igitur diuino in cultu quot modis peccetur,& qua etiam uia recedatur a ratione,hominisq; a dignitate atq; excellentia,quantusq; ab fiat ad immanitatem prolapſus.

De ea monſtroſa immanitate quę eſt ex occupata patrię libertate.

ESt adhuc etiam aliud monſtroſæ immanitatis genus huic(quod diximus) proximum:occupare uidelicet patriæ libertatem,nam cum poſt Deum patria ſecundum obtineat locum:quid indeteſtabilius,magisq; uiolentum eſſe poteſt immanitatis genus,q̃ occupata patria,libertatem ciuibus ſuis eripere, Tyrandidenq; exercere,ac inter rapinas, exilia graſſationes, torturas,cædesq; continuas uerſari? Parte alia uitam agere uoluptuariam? ut utroq; uitæ genere belluas ſequi uideare , illarumq; inherere ueſtigijs, rationabiliq; parte deprauata,ancillatum agere tum immundiſſimarum uoluptatum,tum rabioſi impetus appetitionumq; uiolentiſſimarum . Inſectatus dicitur monſtra Hercules pro tuenda libertate,aut reſtituenda ijs,quibus fuiſſet adempta:quę ob merita inter Deos ipſe conſenſu hominum relatus eſt.contra uero,qui a patria libertatem ſubſtulit,lupus dicitur,ut illud Plautinum demonſtrat,homo homini lupus.Timebat uxores Dionyſius, ac maxime ſuſpectas tum has,tum etiam filias habebat. Adurebat ſibi capillum candente carbone,dum omnes pauitat:dum nulli fidit propter contaminatiſſimam cædibus, rapinisq; conſcientiam.Quid autem immanius q̃ filias metuere,cum ex aduerſo uideamus feras ipſas pro tuendis catulis ſuis etiam in uenatorum tela incurrere,proq; illorum ſalute mortem(quam euitare fuga poſſent)uolentes appetere,ut belluis ipſis appareant tum inferiores,tum etiam deteriores.ciuilia illa tot et tanta Romanorum bella quid pręſe aliud ferunt,q̃ monſtroſiſſimam immanitatem?qua uel truculentiſſima animalia exuperant. Quando enim aut leones,aut tigrides,in aciem prodierunt aduerſum ſe ipſas,coactis undiq;

diq; ex Aſia Europaq; atq; Aphricæ præſidijs? Quo fit, ut in hoc ipſo immanitatis genere homines belluis ipſis ſint ſuperiores. Nam in hoc ſcelerum tumultu ac calamitate pater in filij, filius in patris uiſcera gladium adegit: mutuoq; ſeſe confœdauerunt cruore: id quod nullis unq̃ in prælijs præterq̃ ciuilibus contigiſſe legitur. ut iure exclamare liceat Terentianis uerbis, O Cœlum, o Terra, o Maria neptunia. Quid enim a ſcele ſpectari potuit indignius, ipſisq; ab cœlitibus?

Si liceat regnandi cauſa monſtroſis immanitatibus uti atq; prophanitatibus.

SVnt tamen, qui regnandi cauſa admittunt monſtroſas immanitates. ꝙ Reges, Cęſares, Principes atq; id genus potentatus alij regnandi gratia eas exercuerint boni enim illi ac ſanctiſſimi Cęſares, cognatos, affines, familiares, ſenatores, ut libere dominarentur, ueneno è medio ſubſtulerunt. Auguſtus Cæſarionem Cæſaris patris ex Cleopatra filium è medio ſubſtulit, quo ſolus imperaret. Aratus Dux Sicyonius cum multos tyrannos ſua uirtute ſubſtuliſſet, Philippo iuniori Macedoniæ regi cœpit eſſe formidoloſus, propterea ueneno lento ac ſenſim dato ab eo potionatus eſt. Alexander Macedo ab Iola prægustatore Antipatri ad regnum aſpirantis filio, ueneno potus eſt. Philopœmenes magnus gręciæ imperator, cum apud Meſſenios in domicilium ſubterraneũ neq; auras, neq; lucẽ exterius excipiens fuiſſet impactus, hauſto ibidem ueneno perijt ueneniũ porrigente Dinocrate Meſſeniorum Duce, parta de illo uictoria. Hẽricus ex Lucemburgo imperator poſt Albertum a Clemente pontifice deſignatus, opera Roberti Siciliæ Regis ueneno perijt. Ladislaus Rex Apuliæ dum Florentinos bello aggredi, ſuæq; ditioni ſubmittere conſtituiſſet, eorum opera ac inſidijs ueneno ſuffocatus eſt. Conradus imperator Frederici filius ueneno perijt, quod medici a Manfredo (qui imperio ſucceſſit) pecunia corrupti dederunt. nec ueneno tantum, uerumetiam alijs innumeris modis filij patres patres filios, fratres ac ſorores regnandi gratia necarunt. Darius Rex Perſarum Anobarſenem filium interfecit, ꝙ is Alexandro promiſiſſet ſe patri inſidiaturum, & mortem intentaturum. Romanis in latinos certantibus Caſſius Signifer Craſſum Brutum filium occidit ꝙ is patrem prodere, & hoſtibus portas aperire uoluiſſet. Sunt & alij plurimi patres qui regnandi gratia filios interfecerunt. Contra uero filij etiam plurimi patres. Coſroes Rex Perſarum ſenio confectus dum Medorſem filium regni heredem inſtituiſſet, ab altero Syroche natu maiore interfectus eſt. Nicomedes Pruſiam patrem Bithyniæ regem dominandi libidine uita ſpoliauit. Sunt & alij filij plurimi, qui regnandi libidine patres pernecarunt. Qui uero fratres, innumeri ſunt, ut Antiochus magnus Seleuci filius. ut Romulus Remum, ut Ptolemęus Philadelphus Argeum fratrem, ut Ardieus Pamphyliæ tyrannus fratrem natu maiorem, ut Mithridates Rex Ponti matrem,

fratrem & ſex liberos. ſunt et alij & ex iunioribus ex antiquis qui regnandi libidine patres, matres, fratres, filios, & ſorores interfecerunt, quę permittenda eſſe tradunt, tum regnandi gratia, tum quia Cęſares, Reges, & magni principes ea effecerunt, quorum uoluntas lex eſt. Vtrum autem hęc liceant, aut ne, non eſt pręſentis traditionis, illud tamen pro comperto habeas, regna ipſa, dominatus, imperia allectamenta eſſe quędam ad monſtroſas immanitates, ſanguiniſq; cognati effuſiones: ut hi ipſi monſtra ſiue hominum, ſiue naturæ uocitandi ſint cum homines: cæteri quidem omnes nati ſint ad cœtus colendos, ſocietatemq; conſeruandam. Hi uero ad deſolandum tantum modo, & quantū in ipſis eſt pœnitus exhauriendam.

De ea monſtroſa immanitate, in quam inciditur poſt uictoriam.

INter monſtroſas etiam immanitates, eam enumerant, in quam inciditur poſt uictoriam. copijs enim hoſtium aut fugatis, aut cæſis, quid efferatius eſſe poteſt q̃ uolutare iacentium corpora, & ſi quos ſpirãtis inuenias, in eos rurſum manu ſęuirę: Quod factitatum ab Hannibale poſt cladem illam cannenſem ſunt qui tradant. Quid ab humana ratione magis alienum q̃ poſt uictoriam in mortuos ſæuire. Odio Ciceronis uſq; adeo exarſit Antonius, ut mortui caput in menſa apponi uoluit, per q̃, diem illuc affixerit, quo uſq; tali ſpectaculo animum exatiaſſet. Sylla rerum potitus corpus Marij iam defuncti reuellit, atq; diſiecit, qua propter Talionem formidans corpora cremari inſtituit. Achilles Hectorem Patrocli ſibi cariſſimi interfectorem occidit, occiſum ter circum Troiæ muros raptauit curru. Quumq; inſtar frendentis bellue immanitatem expleuiſſet, Priamo patri uęnale cadauer expoſuit. Quanto & homine & imperatore rerum humanarum memore dignius eſſet, id & curare, & permittere poſt illatam calamitatem, cadauera uti ſepeliantur, quam ad rem inducię concedi ſolent, ac ſiquibus uulneratis ac male cæſis reliqua uitę ſpes eſt, eis medicorum operam ſubminiſtrare, q̃q̃ hoſtibus. Nam & in uictos, proſtratoſq;, quoſq; iure belli captiuos habere licet, humanitas exuenda non eſt, nec tela in captiuos, uerum in acie ſtantes exercenda. Graſſatorum enim eſt, ac ſicariorum & eorum quidem truculentiſſimorum, poſt ſpoliatos uiatores, eoſdem obtruncare, uidelicet ne cognoſcantur, ſtrenui uero militis id nullo modo. Excuſantur autem qui in ipſo prælio interq; conſerendas manus, cęſo aduerſario, caput auellunt. Militari enim ex inſtituto & lege eſt: cum ſint militibus pręmia cęſi hoſtis propoſita. hoc pacto auulſi a ceruice capitis oſtentatio, ut ſit rei ſtrenuę geſtę teſtimonium, non eſt inhumana. Quid inſuper immanius eſſe poterit q̃ poſt uictoriam urbes, populoſq; diripere. præcipuam enim ad omnem immanitatem res hęc materiam exhibet. nam in polluendis templis, in uiolandis ſacris, in corrumpendis tum puellis, tum pueris impuberibus, in cędendis ſenibus, ſexuq; imbecillis, aditum ad omne immanitatis genus paratur. Ad hęc quidē truculentius

culentius

cu'ent'us, immanius, prophanius, ac ab humana ratione magis remotum eſſe poteſt, q̃ uaſtare agros, deſolare regiones ac populos, urbes incendere, ciues ad internitionem penitus ducere, ſexusq́; omnes imbelles funditus euertere. Qualis autem ea ruina ſit (ue tuſtiora ut omittantur) non multis ante annis Carolus docuit Burgundiorum Princeps in Lige urbe opulentiſſima, cui ſimilis eſt ea Capuę deuaſtatio, quę paucis ante diebus facta eſt, & illa Romę deſolatio quæ temporibus his, emerſit: in quibus (ut breuibus utar) nihil niſi in humanum ſpectatum eſt omnibus autem ijs monſtroſior ea inmanitas eſt, qua utuntur milites hodie, qui in urbibus hoſpitantur. hæc enim aut ſimilis nunq̃ ab hiſtoricis eſt tradita. Amicæ enim a ciuibus recipiuntur, ut autem hoſtes acerrimi omnia agunt. Spretis enim mandatis ducum, ſub quibus militant, in omnem immanitatis exuperantiam furere uidentur: omni enim ſęuitię genere ac calamitatis adhibito, nullo pietati, nullo miſericordiæ, nullo deniq; religioni deorumq́; Aris ac pręcibus hominum relicto loco, urbes omnes, (a quibus amicæ recipiuntur) ut hoſtes prophaniſſimi petunt.

De ea monſtroſa immanitate, quæ proditio eſt.

INter monſtroſas immanitates etiam proditionem arbitrantur eſſe addendam, nec iniuria quidem, nam quid hoc ipſo aut ſcelere ſceleratius, aut execramine execrabilius? quid immanius q̃ fidem fallere, iuſiurandum, ac deos ipſos uenales habere, Ludouicus Maria qui poſt turpiſſimam illam fugam, uocatus a nobilitate ac popularibus, Mediolanum electis inde Gallis ſe receperat, cum maximam Heluetiorum manum ac Brigantum ad ſtipendia conduxiſſet, confligendumq́; Gallico cum exercitu, eſſet inter ipſas acies ac tubarum pene cantus ab Heluetijs ipſis captus eſt, pecuniaq́; accepta Ludouico Regi Galliarum per turpiſſimam proditionem uenundatus traditur. Itaq; auaritia ipſa nō modo (ut Saluſtius ait) corpus animūq́; uirilē effœminat, uerū ēt et efferat, & ad mōſtroſam immanitatem impellit. Cum Alfonſus, & Antonius Caldora collatis ſignis inter ſe dimicarent, atq; utrinq; ſummis pugnaretur uiribus, Paulus Sangrius, qui in exercitu Antonij Princeps eſſet auctoritatibus, ac uiribus, uerſis in Antonium haſtis ac gladijs, ad Alfonſi partes tranſiit cum maxima etiam parte copiarum. quo facto, Antonii exercitu ſuperato, ille captus eſt, caſtraq́; eius direpta. quid igitur aut ſol ipſe uidit hoc indignius, aut res humanę infidelius. Quæ res, licet immanitas dicenda non eſſet, quod inter feras nullus ſit proditioni locus, cum ſcelus hoc ſolius ſit hominis quippe cui ſoli fides inſit iuriſq́; iurandi religio, tamen monſtroſam immanitatem proditionem appellarem, q̄ ſit ſcelus ſupra ferina ſcelera, & crimen ſuper humana crimina.

De ea monſtroſa immanitate, in quam incidunt pretores, & aliquando magni principes.

His

His adhuc monſtroſis immanitatibus eã adiungunt, in quã prętores incidunt, qui puniẽdis criminibus præſunt, & aliquãdo magni principes. nã cũ aliud uincere ſit, atq; uiciſci, aliud punire atq; ſuppliciis afficere, illudq; ſit bellum, atq; inimicitias exercentis, hoc uero iudicis, ac ciuilibus inſtitutis ſeruandis propoſiti, iudices interdum quoſdam uidemus, qui non uoluptatem modo capiant e ſuppliciis, uerum quo puniſſe gloriari poſſint q̃ plurimos, noua & inſueta torquendi genera adinueniant, quibus non modo quæ facta, uerum etiam quæ infecto extorqueant. Quo immanitatis genere in uniuerſa Italia horribilis habitus eſt Nicolaus Porcinarius Aquilanus. nec minor illo erat Bernardinus Amelianus. itaq; & iudices ipſi facile ab ſeueritate ad immanitatem tranſeunt, ut hac ratione (cum ſint adminiſtrandæ iuſtitiæ prępoſiti) efficiantur uel maxime iniuſti: uel (ut propria magis appellatione loquar) ſumme immanes. in ſummis enim ſuppliciis uix iniuſtum ali;uid, quod non ſit idem immane, dum ſit id tamen uoluntarium ac cum uoluptate, & geſtienti a. Ferdinandus primus Neapolitanorum Rex, qui ceruum, aprumue, aut capream occidiſſent furtim ue, palam ue, alios remo addixit, alios manibus mutilauit, alios ſuſpendio affecit, Agros quoq; ſerendos interdixit dominis, legendas aut glandes, aut poma, quę ſeruari quidem uolebat in eſcam feris. ad uenationis ſuæ uſum ſecus qui feciſſet, in eum non aliter ſæuitum, q̃ ſi perduellionis eſſet reus. Quę res licet immanitas dicenda non eſſet, cum inter feras nullus ſit prefecturę locus, cum ſolius hominis ſit punire atq; afficere ſuppliciis, tamen talem puniendi uiam monſtroſam immanitatem dico, quod ſit execramen ſupra ferina execramina, & ſcelus, (ut dixi) ſu; ra humana ſcelera.

De ea monſtroſa immanitate, in quam incidunt leges.

Hac inſuper eadem monſtroſa immanitate leges quędam etiam uideri poſſunt et ipſę immanes: quibus condendis, non id mihi uidetur fuiſſe conſilium conditoribus ut ab homine dignisq; homine moribus diſcederent per crudelitatem, uerum ut ciues deterrerent penis immaniter propoſitis. Qualis lex illa Semiramidis: quæ cum filio ut concuberet, pro lege poſuit Matres in uiros filios poſſe ducere. Qualis etiam lex illa, duodecim tabularum, qua licitum erat creditori pro debita pecunia membrum ſibi capere ex corpore debitoris, ut puta centenis pro ſextertiis, aut manum, aut pedem. Florentinus Magiſtratus eum ciuem, qui impotenter uim, iniuriamq; pro libidine in ciuem exerceat, nec commonitus temperet, decreto publico Grandem ſtatuit, id autem eſt quaſi tyrannum, aut hoſtem publicum decernere: ut liceat cuiuis inuentum illum, aut ante ſolis exortum per urbem incedentem, aut poſt occaſum impune occidere. Excuſatur tamen lex hęc propter ſtudium quod in eo populo fuit quondam ęquabilitatis tuendę, ſeruandęq; inter ciues communitatis.

De ea monſtroſa immanitate, in quam incidunt, qui iniurias ulciſcuntur.

MOnſtroſis etiam ijs immanitatibus, eam nemo non addere poterit, in quam incidunt qui iniurias ulciſcuntur. Et (ut uetuſtiores omittantur) qualis hęc fiat, Corradus trincius, qui Fulgineę in Vmbria imperitauit, cęſo Nicolao eius fratre a prę fecto arcis Nucerinę ob adulterij ſuſpitionem, nobis exponit. nam pręfectum ipſum ita expugnare aggreſſus eſt, ut ille ammiſſa tandem omni ſpe euadendi, interfectis prius uxore ac liberis ſeſe e ſumma turri deiecerit, ne uiuus in Corradi poteſtatē perueniret, itaq; Corradus deceptus oportunitate in uiuum illum ſeuiendi, quotquot familiares, cognatos, amicos, natos, quiq; cum illo conſuetudinem exercuiſſent aliquam, captos, cruciatosq; ad excarnificationem ad ultimum comminui in fruſta, exenterariq; imperauit, ac per ſentes maximeq; frequentium uiarum ſępes ac margines eorum uiſcera, inteſtinaq; ſuſpendi, ac paſſim diſpergi, ut neq; aut uindictam appellare hanc poſſis, aut punitionem. Stephanus Marrus graſſator Olibanenſis, cum inimicum occideret, in macello Cadauer in fruſta diſſectum uendi iuſſit, uoluitq; ut ciues coquerent, & comederent, ſecus qui feciſſet, in eum non aliter ſeuiebat, q̃ ſi perduellionis ſibi reus fuiſſet. nam magnus Graſſator Centurio erat. Neronianis enim illis fidiculis, quę dictu erant horribiles, hæ prophanitates ſimiles ſunt. Et illis Syllæ, qui Romam, & uniuerſæ italiæ partes ciuilis ſanguinis fluminibus inundauit. quæ itaq; belluæ ferritas his immanitatibus maior, aut truculentior eſſe poterit.

De cauſis, quibus incidimus in prophanitates ipſas.

SVnt autem immanitatum & ſimpliciter, & monſtroſarum, cauſæ plurimæ, quas ſi uellem ad amuxim explicare, ad immenſum iret oratio, illud tamen pro comperto habeas nullum eſſe immanitatis genus, quod non ſit ob iræ ac uindictæ ſitientiſſimam rabiem. ira enim uehementior (ubi fuerit) præcipitem ita agere hominem conſueuit ut eum in ſui ipſius obliuionem inducat. aut ob dominandi libidinem. ſuſpitio enim ac conſcientia illa maxime tetra, ac deteſtabilis Tyrannos inducit ad noua atq; inaudita ſupplicia excogitanda pro incutiendis terroribus, quin etiam, ut non raro in filios parentes, ipſiq; in parentes liberi pergraſſentur teterrimis quibuſq; maleficijs ac penis. Aut ob ſpoliandi cupiditatem, Auaritia enim ut plurimorum eſt uitiorum fomes, ſic etiam & immanitatis, pręſertim (ut diximus) ubi fuerit ambitioni coniuncta. Aut ob graſſandi uoluptatem, excarnificandiq; oblectamentum, gęſtientiā, atq; ingluuiem, uoluit. Nero occiſæ matris corpus eſt inſpicere, & contrectare nudum, & tum hoc membrum laudauit. tum illud uituperauit, quin exorta interim ſiti, poculum ſibi afferri iuſſit uidelicet matris ipſius manibus parentaturus. Caius ante eum Cæſar curiam ingredientem

gredientem ſenatorem graphijs primo confoſſum, poſt etiam dilaceratum, inde in membra & artus ac uiſcera diſcerptum per urbis uicos trahi iuſſit, deniq; ante ſe collecta ea congeri, quo & animus cum primis, & oculi exatiarentur aſpectu tam fœdo: ac uoluptate, tam nefaria & perdita, item & Papinium conſularis uiri filium, & Baſſum quæſtorem ſuum, procuratorisq; ſui filium, aliosq; item tum Senatores, tum equites Romanos eodem ſimul die, & flagellis cecidit, & torſit, non queſtionis, ſed (ut Seneca tradit) animi tantum ac uoluptatis gratia. Aut ob tyrannicam animi impotentiam. Tyrannicas enim animi impotentia, elatioq; illa, per quam omnia ſibi licita eſſe perſuadent, (Caligula dictitante quęcunq; libent. eadem cuncta licet heroibus) eo trahit, ut dijs ſe dum aſſimiles uideri uolunt, feris ipſis tetriores efficiantur. Refert Seneca Darium regem parantem expeditionem aduerſum Scitas rogatum ab Hartabazo nobili admodum ſene, ut e tribus liberis, quos Rex ipſe ſecum duceret, unum ei in ætatis ſuę ingraueſcentis iam ſolatium relinqueret, ac tanq̃ ſenectutis baculum, reſpondiſſe plus ſe q̃ ille rogaſſet, pręſtiturum, tresq; eos una ſtatim ad patrem remiſſurum, confeſtimq; occidi eos ſimul iuſſiſſe, atq; ante patris conſpectum cruentatos abijci. Cabyſen quoq; idem auctor refert admonitum a Traheaſpe, qui erat illi maxime fidus, & carus, ut in potu eſſet abſtinentior, q̃ ebrietas in regibus maxime notabilis eſſet, reſpondiſſe non mentẽ modo poſt uinum ſibi, uerum etiam & oculos, & manus in officio eſſe, idq; breui ſe comprobaturum, cumq; liberalius q̃ unq̃ antea poculis indulſiſſet, iuſſiſſe filium eius ultra limen progredi, ibidemq; conſiſtere, alleuata ſupra caput ſiniſtra, e ueſtigioq; contento arcu cor illius medium ſagitta fixiſſe: quod ſe transfixurũ antea dixerat: conuerſumq; ad patrem dixiſſe & quid certã ipſe uideretur habere manum? Alexander Macedo, cum eſſet correptus a Caliſthene, eum interimere fecit. hęc igitur pertenta de ſe gignit animorum impotentia cognataq; e cęlitibus ipſis poteſtas, aut propter ebrietatem. Quantus enim ex ebrietate, quęq; crapulæ dicuntur, fomes accedat immanitati (ut barbaros pręteramus reges) teſtis eſt Alexander, qui educatum una ſecum a puero clitum, ſibiq; etiam maxime carum, inter epulas manu ſua transfoderit, ac Sinon, & Liſimacum leoni obijci iuſſerit, ſibi per q̃ etiam familiarem. uerum immanitas, quæ ex ebrietate proficiſcitur, ægritudinalis uidetur. nam ebrietas furori eſt perq̃ ſimilis. Tam & ſi ille e morbis gignitur, deterrimoq; naturæ habitu. hęc autem ex animi corruptione, deprauataq; uoluntate immanitas uero ipſa (niſi uoluntaria fuerit) deſinat eſſe immanitas.

De temporibus, quibus prophani fuerunt atq; immanes.

ET licet eadem ætas quæ ſanctos heroesq; tulerit, tulerit & immanes, atq; prophanos. (nam quibus temporibus Herculem heroem finxit gentilitas, eiſdem Diomedem atq; Buſyridem, & Mezentium figurauit, & quibus temporibus diſcipuli Domini, eiſdẽ

& Nerones

& Nerones fuerunt) tamen quibuſdam temporibus ſunt immanes atq; prophani, quibus non ſunt ſancti, atq; heroes, ueluti noſtris temporibus. Priuati enim milites qui temporibus noſtris in italia bella gerunt, omnes fere immanes ſunt. non enim eorũ aliquis eſt, qui a ſua barbaricæ immanitate atq; prophanitate degenerat. nullus enim eſt, qui in Deũ credit, nullus pietatẽ fatetur, nullus metuit Deũ, nullus religonem colit. Omnes putant terroris ac metus gratia religionem a ſapientibus inſtitutam eſſe, quo ſe homines imperiti a peccatis abſtinerent, ueram autem religionem nemo eorum eſt, qui meditatur. Sunt inter eos Mezentij qui (ut Virgilius inquit) corpora mortua uiuis iungebant: componentes manibus manus, atq; oribus ora tormenti genus, & ſanie, taboq; fluentes complexu in miſero longo ſic morte necabant. Sunt & Syllæ, qui Romam et uniuerſas Italiæ partes humani ſanguinis fluminibus inundare fecerunt. Sunt etiam inter eos Scytæ, qui excenteratis animalibus uiuos homines includebant eminentibus ſolis capitibus, ut cibo capto diutius languerent, uiuerentq; donec putrefactis animalibus excreſcerent uermes, a quibus conſumerentur. Sunt etiam Herodes, qui multa puerorũ millia occidi iuſſerunt, ut Authorẽ noſtræ ſalutis interciperent. Sũt & Ecelini, (qui circa Taruiſiũ & Euganeis cũ exercuiſſent tyrranidẽ) caſtrabãt pueros, ſtupro uiciabãt uirgines, Matronis adimebant mãmas, pręgnantiũ ſecabant uteros, partus extractos in ignem mittebant, etiam Ecelinus biſſeua Pataunorum milia ſub ſuo uexillo merentia ad unũ ĩterfecit audita Patauij defectione. Sunt & Diomedes atq; Buſyrides, qui equos humana carne paſcebant. Sunt Alexãdri pheræi, qui uiuos homines obuerſis ĩ ſe faciebus ſepelliebant, alios urſorum pellibus inuolutos dabant conficiendos uenatoribus, & feris confodiendos. Sunt inter eos Tamburlani, qui nihil habebant iucundius, q̃ animi feritatem humano cruore oblectare, cuidam roganti cur in omnes uſq; adeo ſeuirent toruo aſpectu, retortiſq; oculis fertur reſpondiſſe, An tu nos homines putas, & non dei iram potius ad hominum pernitiem in terris agentes. Nec deſunt qui inter eos latrones, et ſacrilegi ſunt, profecto alio immanitatis genere circa liberalitatẽ utentes. non enĩ Promethei Deucalionis patris, & Iapeti filij deſunt, qui poſt factos homines Mineruę auxilio aſcenderunt in cœlum, & ignem ferula de curru ſolis ſurripuerunt: quem hominibus indicauerunt. Nec Caci Vulcani filii, qui boues, & Armenta ſuffurabantur in Auentino monte, uerſiſq; ueſtigijs per caudam trahebant in ſuam ſpelunam, ut furtum non agnoſceretur. Nec Brenni qui Apollinis Delphia templum inuaſerunt, nec ſpartaci, qui collecta fugitiuorum ac perditorum hominum manu, bellum Romanis intulerunt. Nec deſunt Argiui, e quibus propter furacitatis infamiam adagium uenit, Argiui fures. Nec Eurybatę, nec Attabi, & Numenij, nec Arſaces latronũ ductores, nec Baliſtę, nec Harpali, qui Authore Tullio illudebãt dijs. nec Sambia, q Dianæ tẽplũ expoliarũt ĩ Elide. Nec deſunt pyratæ ut Baſilij, qui p ęquor noua furta perduũt. Nec Cepali, nec Icariones, nec alij ĩnumeri, qui uniuerſum mare quotidie infiſtũt. Et ne te diutius morer, id uolo (ut memorię mandes) nullum eſſe inter hos priuatos milites, qui no=

ſtris temporibus bella gerunt, qui non prophanus, atq; immanis ſit. Ab ijs uero ad italos hoc immanitatis genus (conuerſione diu uidelicet cum huiuſmodi barbaris militibus) migrauit adeo, ut nullus italorum militum ſit, qui non immanitatis, atq; prophanitatis ſcelere ſit corruptus. Nec aliam ob cauſam (ut arbitror) niſi quia nec iuſtitiam colunt, nec deum agnoſcunt, nec numina metuunt, nec mandatis principum parent.

Quod deus immanes atq; prophanos non diu dominari patiatur.

NOn ſum neſcius, mi Hieronyme, nec Tyrãnides, nec regna, nec res publicas nec Ariſtocratias, nec Oligarchias, nec Timocratias, nec Democratias, nec denique imperia aliqua perpetua eſſe quanto minus, qui dominantur. Peruetus enim eſt aſſyrij regni memoria, ſuitq; idem magnum, & diuturnum, occidit propterea nihilominus. Et quo magis noſtræ infirmitatis admonemur, uix tanta queſitum fuit indole, quanta eſt poſtremo deſidia euerſum. Pari neceſſitate excidit & Medorum imperium. hi enim poſt Aſſyrios i Aſia ſunt rerũ potiti. Sic Perſę, Macedones, ſic in græcia Athenienſes Lacedomonii, Thebani imperare deſierunt, quorũ opes eadẽ uix non ſubſtulit ſolũ ſed urbiũ etiã, quas illi habuerũt, aboleuit cadauera. Ecadit & Carthago Romani iperij æmula triplici bello uicta. Nec Roma, quę Carthaginem uicit, extra humanitatis fuit Alent. Sed quæ cęterarum gentium uictrix fuit, a Gothis demum uicta eſt, direptaq; & incenſa. id tamen quod uobis ſum probaturus, eſt immanes atq; prophanos, qui ſacra temerant, quiq; ſacrilegia comittant, qui etiam numina non metuunt, Deum non pati diu dominari: ſed cito turpiſſimo mortis genere interimere: ut ijs opituletur: quos iniuria uexarunt. Creditur enim (ut Ariſtoteles inquit ſecundo rethoricorum libro) deus iniuria uexatis opitulari. quod uero ita ſit, Cambyes Perſarum Rex, omnium religionum perſecutor, Templorum atq; ſacrorum euerſor inſatiabilis, nobis oſtendit. hic enim poſt tot tantasq; prophanitates ex equo proſiliens elapſo ſponte ſua gladio e uagina femur ſibi ipſi tranſegit, ex quo uulnere paulo poſt magno cum dolore interijt. Xerſes Darij filius anteq̃ nauali prelio cum grecis congrederetur, quatuor militum milia ad diripiendũ delphici Apollinis tẽplũ miſerat, ut numina etiã bello ſuperare poſſe crederetur, non multo poſt ipſe primo in termopylis a Leonida ſpartanorum rege ſuperatur, deinde a Themiſtocle duce uincitur. Poſtremo Mardonio pręfecto relicto emiſſa claſſe in regnum una nauicula ſe recepit, & cum ob ignauiam ac uecordiam contemptui, neglectuiq; ſuis omnibus eſſet, ab Arthabano ſuo pręfecto trucidatur. Milites uero oẽs, qui tẽpliũ euerterũt, ad unũq; ĩbribus, procellis, fulminibusq; deleti ſunt, ut uix nuntius tantę cladis euaſerit. Brennus Gallorum dux, cum templum delphici Apollinis aggredi conaretur, ſuo exercitu tandem proſtrato, terremotuq; grandinibus, imbribus, ac tempeſtate conſumpto, ipſe tanti ſceleris dux, ſe ipſum pugione traiecit. Onomacus cum no

ctu

ctu Theſauros eiuſdem templi conaretur effodere,repente maxime terræmotu perterritus e templo euolauit. Antiochus Rex(cum nocturnum exercitum ad diripiendum Dodonei Iouis templum duxiſſet) multis finitimis concurrentibus lapidibus obrutus eſt, & omnis eius exercitus trucidatus. Et,ut ad milites ueniam,qui ſuperioribus annis in Italia bella gesſerunt, Alemani, qui ſub Bultino,& Leuthare francorum ducibus contra romanum imperium militarunt,poſtq̃ p impietatē tēpla diripuerunt ſimul & deformarunt,ſacraq; ex auro uaſa ad peragendam rem diuinam parata,preciosā q; cęteram ſuppellectilem ſubſtulerunt,& cruore templa fœdarunt, cum non maleſactis exatiarentur, non longe poſt diuina ira quę ob tanta ſcelera in deo accreuit, partim bello partim morbo interiere,ita ut eorum nemo quippiam ſit ex priſtina rapiendi ſpe conſecutus.franci etiam ſub Leuthare, & Bultino in Italia bella gesſerunt cum Gothis aduerſus Iuſtiniani milites,quorum prefectus erat Narſes,poſt tot rapinas,furta, graſſationes,incendia uirginum uiolationes urbium direptiones,templorum euerſiones, atq; ſacrilegia,poſt tot tantasq; iniurias,quas uiris Italis,atq; ingenuis mulieribus intulerunt,ſtatim ulciſcente deo partim morbo, partim bellis omnes periere. Leuthares enī demens factus,& in apertam rabiem uerſus,ut amentes ſolent eo iam miſer ueſaniæ uenerat,ut uel propria membra deſæuiendo guſtaret, brachijs ſiquidem(ubi iam mordatius inheſiſſet,dentibus carne dilacerata, in feræ beſtiæ morem) ueſcebatur, defluē temq; lingebat cruorem, ſic demum ſuo ſanguine paulatim deperdito,miſerrime prope Venetias ex humanis exceſſit,cęteri uero qui ſub eo militabant,paſſim magis ac magis deſeuiente malo,tādem uniuerſi interiere.Bultinus uero eius frater francorum etiā prefectus pugnans cū Narſate Iuſtiniani prefecto prope caſilinū cū uniuerſo exercitu ad internitionem occubuit,ita ut francorum nemo ſe ad proprios lares receperit prçter homines quinq; inter quos fuerunt eruli duo qui a Narſete defecerant.Quo igitur pacto non perſpicuum fuerit luiſſe hos ſcelerum penas? poſſem & eiuſmodi alias innumeras militum temeritates,& iniuſtitiæ origines recenſere:& quomodo hæc auctoribus ipſis plurimum offecerint,ſed ne potius hiſtoricus q̃ philoſophus uidear,bona fronte pretermitto. Illud tamen ex his, & aliis ſimilibus colligere uolo iniuſtitiam, atq; erga Deum impietatem haud quaq̃ prodeſſe poſſe, ijs profecto, qui bella gerunt.patrię uero opem ferre,ac patrias leges tueri,hasq; deuaſtantibus ſe minus permittere,ſed enixius eos impugnare, ęquum procul dubio eſſe & generoſum. Nam qui lucri,& auaritiæ bellantur gratia,odijq; nulla ratione ſubnixi (cum nullum criminandi ius habeant)ſi uelint in aliena inrrumpere,& eos inceſſere,qui iniuriæ nihil intulerint profecto inſolentes ſunt,& plane inſaniunt, neq; quid ius, fasq; ſit, norunt, nec magni id faciunt, ſi maleficis ſit infenſus Deus. quo fit ,ut acriora his inferantur ſupplicia,& ad inſanabilem calamitatem,qui praue gesſerint recidant:& tempus ad breue felices exiſtimentur.

Qui duces metu Dei exercitus immaniter gubernarunt.

FVerunt uero ex ducibus nonnulli qui metuentes deum, atq; religionem colentes, exercitus ſuos immaniter gubernarunt. & (ut uetuſtiores omittamus) ſunt ex iunioribus Alfonſus calabriæ Dux Ferdinandi primi Regis filius, Antonius pantadera, Nicolaus fortibrachius, & Riccius monteclarius, e quibus Alfonſus pro racemo, ficuq; inuitis dominis ſubtractis, militem trunco uel arbuſculæ proximæ cuiq; ſuſpendi confeſtim iubebat: nec aderat miſericordiam implorantibus locus. Nicolaus uero pene lateri ſuo coniunctum ubiq;, mutum quendam hominem ſecum ducebat, oneratum funibus ac capiſtris, ut quē ſuſpendio deſtinaſſet ob furtū, aut aliud crimen factum illum obuiā nutu indicabat, conuerſusq; ipſe poſt ad mutum, proclinato in uncum digito naſum ſibi contingebat, quo ſigno accepto, confeſtim mutus iniecto in illum capiſtro, eum proximo cuiq; uel trunco uel arbuſculæ ſuſpendebat. Indicabaturq; ignauus dies, qui ſine ſuſpēdio pręteriiſſet. Antonius qui in Pannonia hoc eſt Hungaria diutius exercuiſſet militiam, pānonio incinctus gladio, ubi quem uel ob furtum, aut aliud ſcelus perditurus erat, illum ex improuiſo, eodem ſtricto adoriebatur. Eratq; illi ludus quaſi quidam necare milites delinquentes, in quo ſeſe pene quotidianus exercebat. At Ricius adhibebat etiam comitatem, quem enim militem propter ſcelera, aut iniurias aliis illatas, decreuiſſet enecare, blande admodum ſalutatum inuitabat ad pocula, percontabaturq; quot ſecum aut placentulæ bucellas, aut ſorbitiones aſſumpturus eſſet, repenteq; in iis nugis, totidem, illum uulneribus ad terram dabat. Immanitatibus itaq; his exercitus perterriti ad nutū obediebant illis. Hactenus de prophanitate & ſanctitate.

Niphani. xxi. Octobris.

EIVSDEM

EIVSDEM AVGVSTINI NIPHI MEDICIS PHILOSOphi Sueſſani de miſericordia liber ad uirum religioſum Hieronymum Seripandum.

Pręfatio, atq; Stoicorum opinio de miſericordia ad Hieronimum Seripandum.

ENuntiatum eſt mihi Seripande cariſſime ob iacturas, calamitatesq́;, quibus ciues ſueſſani, & nos petiſſimu n, hiſpanorum militum incurſione nunc conflictamur non modo te dolere, uerum etiam ſumma (ut uirum bonum decet) miſericordia affici, et uſq; adeo profecto, ut non ipſe ſed tu conſulandus ſis, ut ergo te una nobiſcum conſolemur, de miſericordia libellum tibi mitto, ubi diſputatum inuenies decet ne ſapientem miſereri, an non? Nam ſtoici quorum ſummus fauctor Seneca eſt, tradunt inter animi uicia miſericordiam eſſe connumerandam. unde Seneca uicium animi (inquit) eſt miſericordia, nec miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret: quam partem Cicero in tertio tuſculanarum. Q. confirmat (cum inquit) ſi ſapiens in ęgritudinem cadere poſſet, & in miſericordiam poſſet, & in inuidentiam. Eſt autem ſtoicorum argumentum ualidum. Nam ſi miſericordia eſt animi ægritudo ob alienorum malorum ſpetiem, aut triſtitia ex alienis malis, miſericordia in ſapienti uiro cadere non poterit, ut nec ęgritudo. enim eius mens eſt, nec quicq̃ incidere poteſt, quod illam obducat. nihilq́; ęque hominem q̃ magnus animus decet. Non poteſt autem magnus eſſe idem, ſi metus, & męror contundit. Si mentem obducit, & contrahit. hoc ſapienti ne in ſuis quidem accidet calamitatibus, ſed omnem fortunę iram reuerberabit, & ante ſe franget, eandem ſemper faciem ſeruabit placidam, & inconcuſſam, quod facere non poſſet, ſi triſtiã reciperet. Adde q; ſapiens & prouidet, & in expedito conſilium habet. Nunq̃ autem liquidum ſyncerumq́; ex turpido conſilium uenit. triſtitia enim inhabilis eſt ad deſpiciendas res, utilia excogitanda, periculoſa uitanda, ęqua æſtimanda. ergo non miſeretur, quia & ſine miſeria animi non fit. cętera omnia quęq; miſerentur, uolo facere libens, ut alius nemo faciet, ſuccurret alienis lacrimis, non accedet, dabit manum naufrago, exuli hoſpitiũ, egenti ſtipẽ, nõ hanc contumelioſam (q̃ pars maior horũ, qui ſe miſericordes uereri uolunt) abijcit, & faſtidit quos adiuuat contingitq́; ut ab his timet. ſi ut homo homini ex communi dabit, dabit & donabit lachrymis maternis filium: & catenas ſolui iubebit, & ludo eximet, & cadauer etiam noxium ſepeliet, & faciet iſta tranquilla mente, uultu ſuo. Ergo non miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret, ſed proderit in commune auxilium natus, ac publicum bonum, ex quo dabit cuiq; partem, etiam ad calamitoſos pro portione improbandos, & emendandos bonitatem ſuam permittet, af=

Seneca

ſuctis uero, & fortius laborantibus multo libentius ſubueniet: quoties poterit, fortunæ intercidet. Hęc ſunt, quę Seneca adducit, per quę demõſtrat primò miſericordiam in ſapienti uiro non cadere, ut qui putet illum nulla animi commotione teneri cum et ſanctus ſit culpa uacare, iniquum aſſerens ſapientem alienam culpam luere, uel alieno incommodo torqueri. cum ne ſuo quidem aliqua ex parte moueatur. deinde quia principale in uirtute ipſa eſt electio (ut peripateticorum princeps etiam Ari. ſcribit) electio autem appetitus eſt eius, quod prius in conſilio habitum eſt. tunc argumentatur ſecundo Seneca, quod impedit electionem & conſilium, neq; uirtus eſt, neq; in ſapienti ipſo cadere poteſt. ſed miſericordia impedit conſilium, & electionem. (ut Seneca demonſtrauit, & Saluſtius aſſerit) cum inquit omnes homines qui de rebus dubijs conſulant ab ira & miſericordia uacuos eſſe decet, non enim animus facile uerum prouidet, ubi iſta officiunt miſericordia, igitur non eſt uirtus. Inſuper argumētãtur alij ex ſtoicis, miſericordia non eſt uirtus intellectualis, cum ad uirtutem appetitiuam attineat. nec eſt uirtus moralis, cum ſit affectus. Igitur cum non ſit uirtus, in uiro ſapienti cadere nequaq̃ poterit. Adde ꝙ contrarium miſericordiæ laudatur (quę grecæ dicitur nemeſis latine indignatio) quod Ari. demoſtrauit libro Rhetoricorum ſecundo. igitur miſericordia uituperatur, quare in ſapienti uiro nequaq̃ cadere poterit. hęc ſunt per quę ſtoici (quorum Seneca ſauctor eſt) miſericordiam a ſapienti uiro ſubſtulerunt, & (ut breuibus dixerim) potiſſima huius rei cauſa eſt, quia in ſapienti uiro nec dolor, nec triſtitia cadere poteſt, nec ſuorum, nec alienorum malorum. Caderet autem dolor atq; triſtitia ſi in eo caderet miſericordia.

Argumenta aduerſus ſtoicos quibus probatur in uiro ſapienti miſericordiam cadere.

SEd contra ſtoicorum opinionem eſt Cicero primo, qui in oratione pro Ligerio in laudem Cęſaris miſericordiam inter uirtutes enumerauit, cum dixerit, nulla de tuis uirtutibus plurimis, nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt. Pręterea inhumanum quidem eſſe uidetur in aduerſis amicorum, ac neceſſariorum caſibus non aliqua miſericordia moueri, & ſi hi caſus ad nos nihil pertinere uideantur. Natura ſiquidem id nobis preſcribit. cernimus enim bruta animalia non mediocriter commoueri cum intuentur aliquod ſui generis uerberibus, aut aliquo dolore affectum. Sic etiã exhorrent cadauera animalium ſui generis: quaſi interitum illorum aliqua miſericordia proſequantur. Inſuper id, quod ſtoici aſſerunt, cum dixerint dolorem triſtitiamq; in uiro ſapienti non cadere, & propter id nec miſericordiam, falſum eſt, atq; rationi diſſonum. Nam (ut Ari. probauit ſecundo & tertio ethicorum) qui ob mala, quę ſibi uel propinquis contingunt, nimis dolent, atq; triſtantur, molles ſunt qui nullo pacto duci, atq; inſenſitiui. quare qui dolent, atq; triſtantur propter illa quibus oportet, &

ratione

ratione qua oportet, & nõ magis q̃ oportet, & tẽporibus, & locis quibus oportet et ꝓ ꝑſonas quibus decet, hi ſapiẽtes ſunt, atq; ſũma uirtute prędi:i. quod ſi ita eſt, cur dolor, atq; triſt.tia modice, atq; tẽperate ĩ ſapiẽte cadere nõ poterit? potiſſimũ cũ huiuſmodi me diocritas inter uirtutes collocetur. his accedunt etiã ueteres Academici (qui Platonem philoſophorum ſummum authorem habent) aſſerentes ſapientem ipſum miſericordia com moueri, non tamen miſerabil.ter, aut muliebriter, ſed ut decet uirum temperantem, ac prudentem, & eum maxime, quem humana tangunt. quin etiam quibuscumq; rebus poterit miſericors, ab iniu ia probibebit, illatamq; & propulſabit, atq; ulciſcetur. & hoc quidem optimi u ri officium erit. In quibus uero id facere non poterit, ęqui, boniq; atq; clementis munere fungetur, aderit conſilio, opitulabitur, hortabitur, atq; adiuuabit. Quare recte gręci miſericordiam ipſam ἐλεημοσύνη appellant q amoris, ac beniuolentiæ inditium ſit. ęquum enim eſt ſic in aduerſis amicorum rebus angi, ut in proſperis lætari, uerus ſiquidem amicus utriuſq; fortunę ſe participem eſſe putat. ſunt etiã huic rei teſtes Athenienſes, qui miſericordiam non modo pro uirtute habuerunt, uerum etiam pro numine coluerunt, eidemq; templum, & aram erexerunt. quanti etiam faciendia ſit in principe miſericordia, docuit Cicero, cum pro Rege Deiotaro diceret his uerbis, Non debeo Cai Cęſar (quod fieri ſolet in tantis periculis) tentare, quo modo miſericordiam tuam commouere poſſim, nihil opus eſt. occurrere enim ſolet ipſa ſuppli cibus & calamitoſis nullius oratione euocata. Philippus quoq; Macedo dicere ſolebat oportere Regem meminiſſe ſe hominem eſſe, & per miſericordiam ſe ſimilem deo fieri. Titus Veſpaſiani filius (cum poſt patrem imperaret) duos patricij generis Iuuenes, conuinctos in affectione imperij miſericordia motus liberauit, & ad alterius matrem quę ruri pro merore diuerſabatur properantes nuntios miſſit, qui anxię fœminę annunciarent filium ſaluum eſſe. Huius principis mores tantum ad promerendum omnium gratiam ualuerunt, ut amor atq; delitię humani generis diceretur. Antoninus Cęſar cognomento pius miſericordia plurimum pręſtitit, ut ſolus omnium Cęſarum ſine ciuili ſanguine regnauerit Dromecheres Getarum Rex Lyſimacum hoſtem bello captum incredibili miſericordia dimiſit illęſum. quod autem miſericordia laudabilis ſit, teſtes ſunt non modo uiri probi, Reges, ac Cęſares, uerum etiam deus ipſe, qui apud omnes, ut miſericors colitur, atq; ueneratur. non enim ſupplices ad Deum gentes omnes confugerent niſi eum miſericordem putarent, quod ſi in uiris bonis, & Principibus laude dignis, atq; in ipſo deo miſericordia laudatur, cur ſtoici dixerunt in ſapiente uiro miſericordiam non cadere? profecto id ridiculum eſſe nemo dubitare debet.

Definitio miſericordię apud Lactantium,
& confutatio.

Sed

SEd ut huiuſmodi quęſitũ diluadetur, tollaturq́; omnis ſcrupulus, opus eſt defini tiones miſericordiæ aſſignare, eligereq́; eam, quę propoſito noſtro utilis habetur. Et primo ab ea nobis incipiendum eſt quam tradit Lactantius, uir profectò nõ comẽ

» nendus, qui ita dicit. Dixi quid debeatur Deo, dicam nunc quid homini tribuendum ſit:
» q̃q̃ id ipſum quod homini tribueris, deo tribuitur. Quia homo dei ſimulacrum eſt. Sed
» tamen primum officium iuſtitiæ eſt coniungi cum deo, ſecundum cum homine. Sed illud
» primum religio dicitur, hoc ſecundum miſericordia: uel humanitas nominatur, quæ uir-
» tus propria eſt iuſtorum, & cultorum dei: quia ea ſola uitę communis in ſe contineat ra-
» tionem. Deus enim qui cęteris animalibus ſapientiam non dedit, naturalibus ea muni-
» mentis ab incurſu, & periculo tutiora generauit. hominem uero, quia nudum fragi-
» lemq́; formauit, ut eum ſapientia potius inſtrueret, dedit ei præter cętera hunc pietatis
» affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraq́; omnia pericula & acci-
» piat, & pręſtet auxilium, per quę innuit Lactantius miſericordiam eſſe iuſtitiæ offi-
tium: per quod homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraq́; omnia pericula & acci piat & præſtet auxilium. Sed pace tanti uiri dixerim hęc quæ dicit de miſericordia potius de humanitate uera ſunt, quę eſt hominum uinculum, quod qui diſruperit, nefa- rius, & paricida exiſtimandus eſt. differt autem non parum miſericordia ab humani- tate, ut in libro de optimo principe declarauimus.

Definitio Miſericordię aſſignata a Seneca, & a Cicero- ne & illius confutatio.

ANnęus uero Seneca libro ſecundo de clementia ad Neronem, ita diffinit, miſe- ricordia eſt ægritudo animi ob alienorum malorum ſpeciem, aut triſtitia ex alienis malis, contra quæ accidere immerentibus credet. Cicero uero non ualde procul ab hac definitione dicit miſericordiam eſſe ęgritudinem ex alterius rebus aduerſis ſu- ſceptam, quę tibi non nocent & intellexerunt Cicero, & Seneca per ęgritudinẽ, dolo- rem uel triſtitiam, quam aliquis ſumit propter alterius mala. Sed ſi hęc definitio ſit de miſericordia, quę accipitur pro affectu, manca eſt, atq; mutilata, non enim ex hac habemus quorum malorum ſit dolor miſericordia. cum enim multiplicia ſint bona, ita & mala multiplicia ſunt, & cum non explicetur quorum malorum miſericordia ſit do lor, non eſt perfecta definitio. Deinde cum is, qui mala patitur, poſſit eſſe dignus ijs malis, quæ patitur, & non dignus, per definitionem non habetur quo modo miſeri- cordia ſit dolor utrum eius, qui digne patitur. Poſtremo ex hac diffinitione non ha- betur cauſa propter quam dolet miſericors, quę ex diffinitione haberi debet.

De multiplici miſericordiæ acceptione ſecundum Peripateticos, & de uera miſericordiæ definitione.

Sed ut

SEd ut miſericordię definitio perſpicua ſit, illud primo a nobis ſumendum eſt miſericordiam non uno modo accipi, nam cum omnis miſericordia dolorem de aliena miſeria importet, hic autem dolor ſignificare poſſit una ratione motum appetitus ſenſitiui, quo in modo affectus eſt, & non uirtus. de qua Ari. ſecundo rhetoricorum libro diſſerit. Alia ratione motus appetitus rationalis, per quem alicui diſplicet malum alterius. hinc fit ut duplex ſit miſericordia, altera quæ attinet ad intellectum, altera quę attinet ad appetitum ſenſitiuum. quæ ad intellectum attinet, cum fuerit ratione regulata, erit uirtus. cum uero fuerit prēter rationem appetitum ſenſualem ſequens, eſt uitium. de hac uirtute cum loqueretur Ari. ſecundo & tertio ethicorum, aſſignat extrema, & medium. Nã qui propter ſua uel aliorũ mala nimis dolent, eos Ari. uocat molles atq; effœminatos, qui uero nullo pacto mouentur eos uocat duros, uel inſenſibiles. medios autem miſericordes. Miſericordes enim (licet non ſic Ari. eos uocauerit) ſunt qui ut oportet, & quantam oportet, & tempore, & loco, quibus oportet, & reſpectu hominum, quorum oportet, dolent. quę uero attinet ad appetitum ſenſitiuum (licet ſit affectus) multiplex eſt apud authores. nam altera eſt compaſſio, ut iam diximus ex memoria prēteriti doloris proficiſcens, uel noſtri, uel alterius cuiusq́, cum quadam ſi aui delectatione. nam poſtq̃ dolorem: laborem, uel periculum ſuperauimus ſecura recordatio uoluptatem affert, quod Maro pollicetur cum inquit, Forſan & hęc olim meminiſſe iuuabit, & tritum eſt illud ex Euripide, Dulce eſt meminiſſe malorum. ſic igitur iucunda eſt miſericordia in prēteritis aliorum caſibus, ut Epaminundas apud Mantineam demonſtrauit, qui tunc iuſſit auelli ſpiculum, poſtq̃ ei percunctanti dictum eſt Clypeũ eſſe ſaluum, ut etiam in uulneris dolore ęquo animo cum laude moreretur. Altera eſt cui ἔλεος apud grecos eſt nomen quę mœſtior, miſerabiliorq́; eſſe uidetur & a mollicie olei nomen ducit, hæc affectus eſt, quæ minus adderet temperantem uirum, & a principis grauitate longe aliena eſt. hanc quoq; ueteres, qui caſtigatius locuti ſunt miſerationem appellarunt, licet alterum pro altero authores ſemper uſurpant. Tertia uero eſt, de qua Ari. ſecundo rhetoricorũ libro locutus eſt, quem græci ἐλεημοσύνην appellant, & hanc Ari. ſic diffinit ꝙ ſit dolor quidam ex apparenti malo corruptiuo, ac dolorem inferente, in eo qui non eſt dignus pati, quod ipſe putabit poſſe pati, uel ſuorum aliquem, idq; ſic, ut propinquum uideatur, qua ratione Ari. autumat tria eſſe de miſericordię ratione ex parte quidem miſerantis, dolorem, ſeu compaſſionem, ex parte uero eius cuius miſeretur, indignitatem. debet enim indignus eſſe, ut id malum patiatur. ex parte deniq; mali, quod patitur, qualitatem mali, nam malum, quod patitur, corruptiuũ eſſe oportet, ac dolorẽ inferens, & quidẽ tale, quod (qui miſeretur) putet uel ipſe ſe, uel ſuorũ aliquẽ poſſe pati, et qdẽ prope, miſerationẽ uero, uel cõmiſerationẽ arbitrantur authores eſſe miſericordię ſignificationẽ, qua ex alicuius infelicitate mouetur cum ſcilicet uel aſpectu alicuius, uel oratione, uel etiam cogitatione adducimur, ut eius miſereamur. Liuius libro primo, Agmen migrantium impleuerat uias & conſpectus

aliorum mutua commiſeratione integrabat lachrymas, differt autem hæc commiſeratio, ſiue miſeratio a miſericordia: ꝙ miſericordia uiri fortis ſit, miſeratio autem mollioris, ſed quouis modo fuerit (ut morales philoſophi tradunt) miſericordia quę attinet ad appetitum ſenſitiuum, quoties motu rationis regulatur, non ſolum laudatur, ſed uirtus eſt: igitur miſericordia ſiue ad intellectum, ſiue ad appetitum ſenſualem attineat, poteſt eſſe uirtus, & uitium, uirtus quidem quo poteſt eſſe mediocritas, uitium uero quatenus poteſt eſſe extremum ſecundum exceſſum, uel defectum.

Dilutiones argumentorum Stoicorum.

EX ijs quæ dicta ſunt facile eſt diluere argumenta Stoicorum, primum enim diluitur, quoniam licet dolor ſine rationis freno non cadat in ſapiente, dolor tamen rationis freno moderatus in ſapiente et poteſt cadere, et cadit. Diluitur quoq; ſecundum, nam miſericordia (ut rationis freno regulatur) nec electionem impedit nec conſilium, & propterea quod Saluſtius dixerat de miſericordia intelligitur quę affectus eſt nullo rationis freno detentus. Tertium etiam diluitur, ꝙ ſit intellectualis uirtus, quatenus eſt motus mentis freno rationis regulatus, & uirtus moralis, quatenus eſt motus ſenſualis appetitus ratione ſuperioris partis optime affectus. De contrario uero miſericordiæ dicendum miſericordiæ quatenus eſt quedam forma, opponi inuidiam, & nemeſim ideſt indignationem, aliter atq; aliter (ut Ari. ſecundo rhetoricorum tradit) nam miſericordiæ quidem opponitur inuidia ratione habita ad obiectum, quippe cum inuidus doleat ob proximi bonum, miſericors uero triſtetur ob mala quę proximo contingunt, hac ratione (ut recte Ari. aſſerit) nec inuidus eſt miſericors, nec contra. ratione uero habita ad modum triſtandi, indignatio miſericordię aduerſatur, quoniam indignans triſtatur propter bona quę aliquis indigne habetur. miſericors autem propter mala quę aliquis indigne patitur. Ecce ꝙ ex parte modi hęc contraria ſint. Ex his perſpicuum crudelitatem non miſericordiæ opponi, ſed clementiæ, quę ualde differt ab ipſa miſericordia. quo uero modo miſericordia uirtus eſt quędam inter exceſſum atq; defectum, & contraria utriq; extremo, patet.

De miſericordibus atq; miſeratoribus & de malis quę miſericordiam efficiunt in nobis.

EX ijs, quę dicta ſunt, colligitur quis miſerator ſit, eſt itaq; miſerator ſiue miſericors quicunq; huiuſmodi eſt, ut putare poſſit, aut ſe, aut ſuorum aliquem malum quicq̃ eſſe habiturum, uel prope pati poſſe: malum dico quale definiendo diximus ſcilicet corporis corruptiuum, uel menti dolorificum, aut idem, aut illi ſimile. ſunt autem hęc (ut paucis abſoluam) quęcunq; ex ijs, quę dolorem inferunt, corruptiua ſunt,

& quęcunq;

& quæcunq; poſſunt interimere,ſimiliter ea omnia,quorũ fortuna eſt cauſa,ſi magnitu dinem habeant.ut ſunt mortes,uerbera,corporis afflictiones,ſenectus,morbi,atq; cibo rum inopia.mala uero,quorum fortuna eſt domina,multa ſunt,primum quidem eſt nul los aut ꝙ pauciſſimos amicos habere.Gellius uero nullos habere inimicos miſerabile ar bitratur eſſe.Deinde diuelli a ſocijs atq; ab amicis. Tertium turpem eſſe, imbecillem, & manicum atq; mutilatum,deinde & ſi unde oportebat bonum quippiam contingiſ= ſe, inde malum acciderit. Poſtea ſi ſæpius id accidat. Inſuper ſi cum iam paſſus eſt, bonum quoddam collatum eſt,ut quæ Dyophiti a rege miſſa ſunt,quæ ipſo iam mor= tuo delata ſunt. Ad hæc ſi nullum bonum contingerit,aut ſi contingerit, nulla fruitio ſit. Poſſunt his addi furta,rapinæ de honorationes,& id genus.hæc enim ſunt,quæ mi ſericordiam afferunt. Gellius

De ijs qui nullo pacto miſerentur.

POſt hæc facile poterimus exponere eos, qui nulla miſericordia commouentur, nam qui omnino perditi,ſpeq; omni deſtituti ſunt, nullo pacto miſerentur, ſpe enim deſtituti,ultimaq; iam paſſi nihil amplius ſe paſſuros arbitrantur.Deinde qui ual de timent,non miſerentur.quia perterriti propria perturbatione mouentur, ac dolent. Præterea qui ira, uel fiducia,uel in fortitudinis affectu ſunt,non miſerentur.cauſa au= tem quia non faciunt de futuro rationem,occupati enim iræ, uel fiduciæ,uel fortitudi= nis affectu futura non ſpectant. quare nec compatiuntur. Ad hæc qui in contume= liandi affectu uerſantur, non miſerentur,nam hi quoq; nihil ſe pati poſſe arbitrantur. Demum qui fœlices ſunt. aut ſe fœlices eſſe putant, non miſerentur,nam hi ſunt,qui bo= na omnia ſibi adeſſe opinantur, nihil mali profecto ſe pati poſſe exiſtimant, qui bona omnia ſibi adeſſe opinantur. quare nec pati poſſe exiſtimabunt.

De hominibus miſerabilibus.

SVper eſt modo agere de hominibus miſerabilibus, miſerabiles enim dicuntur,qui miſeratione digni ſunt,ideſt per quos alij miſericordia commouentur. Sed qui mi ſerabiles ſint,exponamus .Sunt itaq; miſerabiles primo noti, qui enim nobis non pa= tent,non ſunt nobis miſerabiles. non enim miſeremur Ethiopum,uel antipodum,ſed ci= uium, uel amicorum, qui nobis noti ſunt. modo tamen non ſint nobis propinqui, aut noſtri quales ſunt filii, uel parentes,uel tales id genus.nam erga hos ſic ſe habent homi= nes quemadmodum etiam erga ſe ipſos. & propterea ad hos non compaſſio, ſed paſ= ſio eſt,compatimur enim ex alijs mente quatenus alienam miſeriam apprehendimus,ut poſſibilem eſſe noſtram,& ſic condolendo miſeremur.Ex noſtris uero nobiſq; coniun ctis patimur re,quatenus caſus eſt in noſtris,ex illis enim patimur,quo ipſa mente ima=

ginantur id nobis accidere poſſe. ex noſtris uero patimur quo caſus tangit nos, noſtrosq; ipſos. propterea Ameſis cum ad mortem uidiſſet filium ſuum duci, dixit hoc, terribilem dolorem in re afferre, cum uero uidiſſet amicum, effudit id eſſe miſerabile, compaſſionemq; inferens. Nec miſerabiles ſunt, cum terribile fuerit prope, cum enim fuerit procul unuſquiſq; putat ipſum euitare poſſe. Deinde ſimiles ſimilibus miſerabiles ſunt, ut qui uel ętate, uel moribus, uel habitu, uel dignitate, uel genere, ſimiles ſunt enim his ſibi quoq; futurum maxime uidetur, ut ſenex ſeni miſerabilis habetur, princeps principi, & propinquus ei qui ſui generis eſt. oportet igitur generatim ſumere ea mala, quę in alijs ſiunt, cum timeant ſibi ipſis accidere poſſe, in miſerationem compelli, mente enim hęc ſibi, uel ſuis poſſe accidere cogitantes, compatiuntur, ueluti qui ſunt in ſomnijs. hęc autem maxime ad miſericordiam mouent, cum pręoculis ſiunt, aut re, aut ſignis. re quidem cum uidelicet oculis cernuntur. Icirco quę mille annis antea fuerunt, uel futura ſunt, etiam ſi timeantur, uel memorię habeantur, aut omnino non miſerentur, aut non ſimiliter. Signis uero cum fiant per ſigna pręſentia: atq; pręoculis uerbi cauſa, per motus corporis, per uoces, ueſtes, aliaq; ſigna. modo uerba actiones conſequantur. per hęc enim fit ut pręoculis malum uideatur: ſiue ſit pręteritum, ſiue futurum. ueſte quidem quoniam ueſtis ſignum eſt eorum, qui paſſi ſunt, ut in morte Cęſaris dictatoris factum eſt. uoce uero ac uerbis, ut quę dixerunt, cum iam moreretur, ac maxime ſi in magno animo in his temporibus fuerunt. Alijs autem ſignis, ut uulnera, & ligna, & flagella, & cętera, quibus paſſi ſunt. nam hęc omnia (quoniam propinquiora uidentur, ac ante oculos calamitates ponunt, ſimulq; paſſionis indignos fuiſſe oſtendunt) ad miſericordiam mouent.

De cauſis quę mouent nos ad miſericordiam.

SVpereſt modo, ut exponamus cauſas, quę nos ad miſericordiam mouent, repetamus tamen primo, & dicamus miſericordiam eſſe alienę miſerię in noſtro corde compaſſionem, qua utiq; ſi poſſemus, ſubuenire compellimur. & quoniam miſeria, cuius eſt compaſſio fœlicitati opponitur, fit ut miſeria non inſit alicui niſi propter mala, ueluti contra fœlicitas ineſt propter bona. mala autē trifariā ſunt: aut quę aduerſantur appetitui naturali, ut ea mala, quę corrumpunt, & dolorem corporeum inferunt. hęc autem ideo aduerſantur appetitui naturali, quia tollunt ipſum eſſe, quod naturali appetitu omnes cupiunt, aut quę aduerſantur electioni, ueluti ſunt mala, quorum fortuna eſt cauſa: ceu cum aliquod malum euenit, unde ſperabatur bonum. hęc autem ideo contra electionem ſunt, quia horum contraria uolumus atq; eligimus. aut quę uniuerſę uoluntati contraria ſunt, ut ſi aliquis ſemper ſectetur bona, & ſemper ei mala eueniant. hac ratiōe Ari. aſſerit ſecundo rethoricorum libro, maxime miſericordiam eſſe, quoties mala quis patietur indigne. Ergo cauſę, quę nos ad miſericordiam mouent, ſunt

mala,

mala, aut quę aduerſantur naturali appetitui, aut quę aduerſantur electioni, aut quę ad uerſantur uniuerſę uoluntati, propter hęc enim do emus, atq; compatimur, in quantum imaginamur alienam miſeriam, quæ fit propter mala, fieri poſſe noſtram. Quibus perſpicuum eſt ſemper rationẽ miſerẽdi eſſe defectũ, aut quatenus defectũ alterius reputamus noſtrum, propter amoris unionem, aut quatenus poſſibile eſt nos eiuſmodi mala ſimiliter pati.

De operibus miſericordię.

Ex his quę diximus perſpicuũ opera miſericordię, quę uiri ſanctiſſimi ſeptẽ eſſe tradunt conſona ualde eis eſſe, quę philoſophi de miſericordia ſcribunt. ſatis enĩ, ut mihi uidetur, conuenire poſſunt, nã ſi miſericordia eſt cõpaſſio quędã eorũ malorũ, quę indigne aliquis patitur, ad miſericordiã attinebit cõſulere imperitis, corrigere delinquẽtes, cõſolari triſtes, remittere iniurias, ferre eos qui moleſtiam inferunt, & pro inimicis Deum orare. hęc enim ſunt, quę ab ipſa compaſſione proficiſcuntur erga eos, qui hęc ſpiritualia mala patiuntur, quę multo maiora ſunt q̃ corporalia.

Concluſio, & Conſolatio.

Debes igitur noſtri miſereri Hieronyme mi: primo quia homo, & miſericors es: qui putare potes te, aut tuorum aliquẽ hęc mala (quę nos a militibus hiſpanis patimur) pati poſſe. & eo quidem prope, quo mala noſtra prę oculis ſunt tibi. Deinde quia mala quę nobis inferunt, mortes ſunt, uulnera, uerbera, afflictiones, morbi, rapinę, ciborum atq; alimentorum inopia; inſuper quia nos ab amicis, qui poſſent prodeſſe, diuellimur. Miſereri ergo noſtri debes, quia hęc quę patimur, miſericordia ſumma digna ſunt. Poſtea miſereri noſtri tibi opus eſt: quoniã nos tibi noti ſumus: non enim ethiopes, aut antipodes, quorum ad te nulla notitia peruenit. ſum etiam tibi perſimilis, nam ego philoſophus, tu quoq;, inſuper ego, & tu ſtudijs eiſdem ſemper delectati ſumus. reſtat igitur tandem, ut te mi Hieronyme una mecum conſoler. non enim te conſolabor quia (ut Stoici dicunt) in uiro ſapienti non cadit dolor, nec miſericordia. declarauimus enim uirum ſapientem miſereri, atq; doleri oportere, cum cauſę doloris urgent. nec quia tempus dolorem lenit, tu uero tempore maior es, nec propter exempla eorum uirorum, qui magna cum paſſi ſint, dolore tamen non nimio ſunt affecti. nec quia (cum uerſemur ſub fortuna) opus eſt ſub fortuna pati. nec quia tu maior es brutis animalibus, & bruta animalia non pluribus uno die triſtantur, ob filiorum mortem. inſuper nec te conſolabor, quia (ut Seneca inquit) non eſt naturale luctibus frangi, nec quia magis fœminas q̃ uiros, magis barbaros q̃ placidos eruditęq; gentis homines, magis ĩdoctos q̃ doctos caſus uulnerat atq; dilacerat. te igitur una mecum conſolabor, quia ſumus homines;

& ratione

& ratione fungentes. quia enim ſumus homines, ſcimus nos natos eſſe paſſibiles: qui aũt paſſibiles naſcuntur, & nunq̃ patiuntur, fruſtra huiuſmodi naſcuntur. Inſuper quia homines ſumus, ea conditione nati ſumus, ut patiamur, quę hominis ſunt, mortes, uulnera, uerbera, morbos, inopiam, cęteraq; quę ĩ hominibus contingunt. Pręterea quia homines ſumus, nõ quemadmodũ dij ſuper cœlũ, & fortunã uerſamur: ſed omnibus quę fortuna, ac fatum afferunt, ſubeſſe oportet. Quia uero ratione fungimur, ſcimus non eſſe nobis dolendum plusq̃ deceat ſapientem uirum, nonq; plus miſerendum, ſed quantum oportet, & ea ratione, ut decet: molles enim ac mulieres, barbari, atq; indoctæ gentes plus dolent, atq; miſerentur q̃ oportet: duri uero & qui ſenſu, aut mente carent, nec miſerentur, nec dolent. ſapientes ergo quantum decet, dolent atq; miſerentur, conuertuntq; omnia aduerſa in ſuam uirtutem ut mare, amnes omnes, riuosq; in ſuum saporẽ, Aduerſarum enim rerum impetus uiri fortis non uertit animum, ſed experitur. quippe cum maneat ſemper eodem in ſtatu, Et quicquid euenit, in ſuum colorem trahat: eſt enim omnibus externis potentior. Nec hoc dico, quia non ſentit (ut Stoici putant) ſed quia illa uincit contra aduerſa attollitur ea putans exercitationes uirtutis eſſe. marcet ſine aduerſario uirtus. Apparet enim tunc quanta ſit, quantumq; ualeat, polleatq;, cum quid poſſit patientia, oſtendit. Paternum Deus habet aduerſus ſapientes uiros animum, & illos fortius amat, quos operibus, doloribus, ac damnis exagitat. ſpectat Deus magnos uiros cum aliqua calamitate colluctantes, & eo potiſſimum gaudet. Si enim nobis interdum uoluptati eſt, ut adoleſens conſtantis animi irruentem feram uenabulo excipiat, Leonis incurſum interdum perferat, cur Deo uoluptati non erit ſpectaculum gratius, quod cum fortuna facit ſapiens? non uideo in terris quid habeat Deus pulchrius ſi conuertere animũ uelit, q̃ ut ſpectet Catonem iam partibus non ſemel fractis, ſtantem nihilominus inter ruinas publicas rectum. Aut Socratem, qui iam morti proximus erat, conſolari uxorẽ. Perſuadebo deinde tibi ne unq̃ boni uiri plusq̃ deceat miſerearis ſiquidem uir bonus licet miſer dici poſſit, nunq̃ tamen miſer eſſe poteſt. nam (ut Demetrius dicebat) nihil mihi uidetur infelicius eo, cui nihil unq̃ aliquid euenit aduerſi. Experitur fortuna ignem in Mutio, Paupertatẽ in Fabricio, exilium in Rutilio, uenenum in Socrate, quos nemo exiſtimabit infelices. Nec pro comuni conſolatione dicta ſufficiant, quæ ſi rudi ſermone ineptoq; calamo ſcripta ſunt, tumultus militaris fecit. eſt enim tanta horum militum iniquitas, ac feritas, ut uix ſcribendi occaſionem dederit. Vale Sueſſę finis. M. D. XXXIII. Die. v. Iulii.

Impreſſum Venetijs per Petrum de Nicolinis de Sabio. Impenſis Domini Octauiani Scoti. Anno domini. M. D. XXXV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Finis augustini nifi